IDEA Philosophiæ.

Tum *MORALIS*, Tum *NATVRALIS*.

Sive,

EPITOME COMPENDIOSA utriusque ex *Aristotele* excerpta, & *Methodicè* disposita.

A Mr. *Franc. Burgersdicio* in Academia *Lugduno-Batava*, Logices & Ethices Professore ordinario.

OXONII,
Excudebat *Henr. Hall*, Impensis *Rob. Blagrave*.
1654.

IDEA
Philosophiæ
MORALIS,
SEU
INSTITUTIONUM
PHILOSOPHICARUM
PARS PRIMA.
DE
OFFICIIS.

Lucernæ, Typis Fidel. Fr.
Regiis Reg. Bibliot.
1697.

X170
B911i
1654

INDEX Capitum & Titulorum qui hâc IDEA continentur.

Cap.

1. *DE Philosophiæ Moralis definitione, certitudine, Auditore, & divisione.*
2. *De bono in genere.*
3. *Variæ sententiæ de felicitate.*
4. *Vera sententia de felicitate humanâ.*
5. *De eo quod invitum ne spontaneum est.*
6. *De spontaneorum actionum principiis.*
7. *De affectibus in genere.*
8. *De affectibus in specie.*
9. *De voluptate & dolore.*
10. *De virtutibus intellectualibus, & præcipuè de Prudentia.*
11. *De natura Moralis virtutis in genere.*
12. *De causa efficiente Moralis virtutis.*

13. *De Pietate.*
14. *De Fortitudine.*
15. *De temperantia.*
16. *De liberalitate & Magnificentia.*
17. *De Magnanimitate & Modestiâ.*
18. *De Mansuetudine.*
19. *De Veracitate.*
20. *De Comitate & Urbanitate.*
21. *De Justitiâ universali & Jure.*
22. *De Justitiâ particulari.*
23. *De continentiâ, Tolerantiâ, & virtute Heroicâ.*
24. *De Amicitiâ.*

IDEA

IDEA.

Philoſophiæ Moralis.

CAP. I.

De Philoſophiæ Moralis Definitione, certitudine, Auditore, & Diviſione.

§. 1.

PHILOSOPHIA eſt animi noſtri perfectio, quanta quidem naturali mentis noſtræ conatu ea poteſt obtineri. Itaque, cùm animus noſter, non ſolùm cognoſcendi, ſed etiam appetendi, & agendi facultate ſit inſtructus, neceſſe fuit Philoſophiam non in ſolâ veritatis ſpecu-

latione, sed etiam in vitæ & humanarum actionum directione consistere.

2. Hinc Philosophia divisa fuit à Peripatéticis in Theoreticam sive speculativam & practicam. *lib: 1. Metaph minor cap. 1.* Quarum illa res sempiternas, & à naturalibus, ac necessariis causis fluentes, solius veritatis desiderio contemplatur. (hoc enim sonat vox Θεωρεῖν: (hæc occupata est iis, quæ nostro arbitrio subjecta sunt: quorum cognitionem non propter se amplectimur, sed ut secundùm eam vitam nostram & actiones componamus, & mores formemus.

[illegible] Theoretica residet in intellectu speculativo cujus munus est res absolutè simpliciter que cognoscere, ut res sunt, hoc est, quatenus habent essentiam, quæ definitione potest explicari; bonitate aut malitiâ nullo modo considerata. Philosophia practica est in intellectu practico: cujus munus est res cognoscere, ut bonæ vel malæ sunt; easque dijudicare, & voluntati appetendas, aut repudiandas proponere.

4. Intellectus ergò practici judicium est fons & norma nostrarum appetitionum, & actionum. Ea enim agimus, & volumus agere, quæ intellectus practico suo judicio dictat agenda esse, aut non esse agenda.

5. Actiones, quæ ex practici intellectûs dictamine, ac judicio proficiscuntur, ad duo genera

genera possunt revocari. Vel enim ποίησις sunt vel, πράξεις.

6. Hæc duo vocabula, etsi à multis confundi solent, Peripatetici tamen, cùm de moribus agunt, significationibus ea distinguunt, *lib. 6. Ethic cap* 4. Nec tamen omnes eodem modo. Quidam enim eas solùm actiones ποίησις esse volunt, quæ opus aliquod post se relinquunt; πράξεις, quæ nullum post se relinquunt opus. Sed hoc discrimen non est ex usu sumptum, quem habent hæ voces apud *Aristotelem*. Is enim ποίησις arte, πράξεις prudentiâ dirigi docet *lib. 1. Mag. Moral. cap.* 35. At multæ actiones, quæ post se non relinquunt opus, ut, *cantare, saltare, equitare*, arte potiùs, quàm prudentiâ diriguntur; quæ proinde non πράξεις, sed ποίησις appellandę sunt.

7. Verum discrimen in eo positum est quòd ποίησις à solâ pendeant arte, non etiam à cupiditate, aut alio aliquo impetu facultatis appetentis; πράξεις contra sequantur conditionem & impetum appetitûs. Itaque ποίησις, sicuti cætera omnia, quæ ab arte proficiscuntur, habent τὸ εὖ, id est, *perfectionem ob quam laudantur*, in seipsis inclusum. Ideóque sufficit, eas ipsas cùm fiunt πῶς ἔχειν, id est, ut certo modo *se habeant*. At πράξεις, quoniam à prudentia prodeunt, ideóque cum virtute conjunctæ sunt, non habent in seip-

sis

sus; neque satis est ut ipsæ cùm fiunt, certò modo se habeant; sed hoc insuper requiritur, ut ὁ πράττων, id est, *is qui autor est* τῆς πράξεως, certo modo sit affectus. Ac primò quidem, ut sciens; deindè, ut deliberato consilio; tertiò, ut firmâ & immutabili voluntate agat. *lib. 2. Eth. c. 4.* Hinc fit, ut ποιήσεις ab eventu; πράξεις ab animo atque affectu autoris æstimari soleant. Nihil enim refert, quo animo: aut affectu, lætus an iratus sit ὁ ποιῶν, modò artis sequatur regulas, erit bonas & laudabilis ἡ ποίησις: at πρᾶξις recta non est, nisi à recto, & composito proficiscatur animo.

8. Philosophia practica non est ars, sed prudentia: ideóque non circa ποιήσεις, sed circa πράξεις versatur. Unde & *practica* dicta est, & ἠθικὴ, hoc est *moralis* Philosophia. Mores enim animi quos *Græci* ἤθη appellant, τῷ ἔθει, id est, *consuetudine* format, & appetitum ad honestatem, atque virtutem incitat, & dirigit. *lib. 2. Eth. cap. 1. & lib. 1. Mag. Mor. cap. 6.*

9. Cùm πράξεις, sive actiones morales, ut dictum est, ab animo æstimandę sint, Philosophia moralis tota in eo debet esse, ut animum nostrum fingat ac formet.

10. Ad hanc rem duo requiruntur primò, ut intellectus judicet ac dictet esse bonum, quòd verè bonum est, & malum, quod verè malum est: secundò, ut feratur in id, quod

quod intellectus dictat esse bonum; & declinet ab eo, quod dictat esse malum.

11. Ut intellectus bonum, & malum inter se possit sine errore discernere, doctrinâ imbuendus est; ut appetitus rectum sequatur judicium intellectûs, subigendi sunt, & in ordinem cogendi affectus, & perturbationes; nè vel subito, & vehementi impetu intellectûs judicium prævertant; vel offusâ caligine pervertant, & in partes suas pertrahant.

12. Cùm intellectus rectè monet, & intellectui rectè monenti appetitus non refragatur, πρᾶξις etiam nostræ, sive actiones morales, eo se, quo decet, habebunt modo, nihilq; à nobis proficiscetur, quod sit contra viri boni officium.

13. Finis Philosophiæ moralis est felicitas humana, hoc est, ejusmodi status, quo perfectior nullus in hominem cadit, secundùm præscriptum rectæ naturalisq; rationis in terris, inter homines, viventem.

14. Ex iis quæ dicta sunt, Philosophia moralis non incommodè definietur hoc modo: Philosophia moralis est, Prudentia dirigens humanas actiones, ut, quantum in hac vita fieri potest naturæ viribus, benè beatéq; vivat. Quibus verbis tum objectum, tum finis Philosophiæ continetur, quæ in sequentibus pleniùs explicabuntur.

15. Dogmata Philosophiæ moralis non

tantâ possunt ἀκριβείᾳ tradi, quantâ tradi solent dogmata Philosophiæ theoreticæ, præsertim ea, quæ ad Mathesin spectant. Τὰ γὰρ καλὰ καὶ δίκαια, ὡφ' ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δ' οὔ. Id est, *Ea quæ honesta sunt & justa, in quorum considerazione versatur civilis scientia, sive Philosophia moralis, tantam habent varietatem, tantum errorem, ut lege modò, non autem naturâ constare videantur.* Nam neque eadem apud omnes, neq; etiam apud eosdem semper eadem justa censentur. Τὸ ταὐτὸν δὲ πᾶσι πολλάκις ἔχει καὶ τὰναντία, διὰ τὸ πολλοῖς συμβαίνειν βλάβας ἐντεῦθεν. Id est, *Similis error versatur in iis, quæ ut bona expetuntur, quoniam ex his multi detrimenta capiunt* lib. 1. Eth. cap. 3.

16. Et licèt multa sint, quæ naturâ suâ bona sunt, aut mala: non pauca tamen occurrunt, quæ, cùm naturâ suâ sint διάφορα, bona tamen aut mala fiunt, vel latâ civili lege, vel ob circumstantias adjectas à quibus facta nostra morales differentias accipiunt.

17. Quæ per se, ac naturâ suâ bona sunt, aut mala, ea recta ratio discernit: in quo discrimine, etsi ipsa sibi norma sit, quo tamen tutiùs judicet in tanta judiciorum varietate, divina lex respicienda est quæ moralis appellatur. Quæ nihil aliud est, quàm expressa imago legis naturalis, ac compendium moralis Philosophiæ.

Philosophiæ. In cæteris, quæ naturâ suâ sunt ἀδιάφορα debet humana ratio usu acquirere discernendi facultatem.

18. Auditorem Philosophiæ moralis oportet τῆς ἕξεσιν ἦχθαι καλῶς, id est *more & consuetudine rectè ductum esse*: *lib.* 1. *Eth. cap.* 4. ut, quoties ipse rerum moralium discrimen non satis novit, aliorum sequatur rectè monentium consilia, & præcepta. Principium enim in moralibus est τὸ ὅτι. Qui enim τὸ ὅτι habet perspectum, sive suâ, sive aliorum operâ atque institutione, τὸ διότι non debet sollicitè desiderare. *lib.* 1. *Eth. c.* 4. Multa enim à Majoribus benè constituta sunt, ut aiunt *I. C. ff. de Just. & Jure. l.* 20. quorum reddi non potest ratio. Imò multa ideò bona sunt, quia lege Majorum constituta sunt. Hæc, si quis morum pravitate contemnet, frustrâ animum adjiciet ad moralem Philosophiam.

19. Hinc sequitur, juvenem non esse δικαῖον, id est, *idoneum* auditorem Philosophiæ moralis. Juvenis enim τοῖς πάθεσιν ἀκολαθητικὸς ὤν, ματαίως ἀκέσεται καὶ ὠφελῶς. Id est, *affectibus obnoxius vanam & inutilem operam sumet in audiendo. lib.* 1. *Ethicc. c.* 3. Nam aliorum recta præcepta, & salubres admonitiones quæ suis affectibus adversantur, supercilio è, & pertinaciter rejiciet, ac contemnet. *lib.* 10. *Ethices cap.* 9. Juvenis autem quisque non

non κατὰ τὴν ἡλικίαν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἦθος, id est, non ex ætate, sed ex more judicandus est. Non enim ab ætate defectus hic proficiscitur, sed ab eo, quòd vitam, & omnia quæ in vita sibi occurrunt, non tam ratione, quàm affectu animi sui metiatur. *lib.* 1. *Eth. cap.* 3.

20. Est & alia causa, ob quam juvenis minùs idoneus sit auditor Philosophiæ moralis: nimirum, quia ἄπειρός ἐστι τῆς κατὰ τὸν βίον πραξέως. Id est, *imperitus est earum actionum, in quibus civilis vita, ac societas consistit.* lib. 1. Eth. cap. 3. Actiones enim civiles versantur circa singularia, de quibus non secundùm præcepta, sed secundùm occasionem judicandum est. *lib.* 2. *Eth. cap.* 2. Quod certè fieri non potest, nisi ab eo, qui longo rerum usu, atque experientiâ, prudentiam sibi comparavit: quę in juvenibus admodùm rara est.

21. Philosophiæ moralis duæ sunt partes; altera communis, quæ Ethica strictiore quâdam significatione nominatur; altera specialis, quæ in Oeconomicam, & Politicam subdividitur.

22. Ethica non agit de moribus singulorum hominum seorsim in certa aliqua vitæ practicæ specie; sed tradit generalia principia, ex quibus vitæ practicæ mores formandi sunt, *lib.* 1. *Mag. Mor. cap.* 1. tum in familia, quod fit in Oeconomicâ; tum in civitate, quod fit in Politica.

non 23. Etenim

23. Etenim cùm homo naturâ suâ sit animal πολιτικὸν, id est, *sociabile*, sequitur, vitam non esse humanam, quæ non vivitur in humana societate. Vita solitaria, quam quidam fingunt, aut divina, aut belluina quædam vita est. Ὁ γὰρ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν, ἢ μηδὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, οὐθὲν μέρος ἐστὶν, οὐ θεὸς. id est, *qui non potest societatem cum aliis contrahere, aut eâ non indiget, sibi abundè sufficiens, aut fera est, aut Deus.* lib. 1. Pol. cap. 2.

24. Præcepta quę in Ethicâ tradenda sunt, ad tria capita revocari possunt: vel enim agendum est de felicitate, ut fine totius Philosophiæ moralis: vel de actionibus moralibus earumq; differentiis ac principiis, de affectibus, déque voluptate ac dolore, ut de objecto: vel denique, de virtute, ejusque speciebus, ut & de amicitia, ut de mediis quibus ad felicitatem pervenitur.

CAP. II.

De Bono in genere.

§. 1. QUod est subjectum in scientiis, id est finis in Ethica, aliisque disciplinis præcepta sua ad usum aliquem referentibus. Debet ergò Ethica tradi methodo analyticâ, sumpto exordio à fine, hoc est, à felicitate. Ut autem felicitatis naturam meliùs assequamur, priùs de bono in genere, ejúsque variis

speciebus, quædam præmittenda sunt.

2. Bonum dicitur quasi *ducnum*, à duobus, quia quicquid bonum est, id non nisi alteri bonum esse dicitur, ut ex Boni definitione §. 3. liquebit. *Græcè* dicitur ἀγαθὸν ἀπὸ τοῦ ἄγειν θεῖν, id est; *valdè currere*. Antiquitùs enim ἀγαθὸς erat epitheton bellatorum; illemque significabat, quod *fortis strenuus*: quia pro ea, quæ tunc obtinebat, præliandi consuetudine, milites pedum pernicitate censebantur. Hinc apud *Homerum* toties, ποδὰς ὠκὺς Ἀχιλλεύς, Id est, *celer pedibus Achilles*. Posteà vox ista ad quamlibet rei præstantiam significandam adhibita fuit. Eodem modo ἀρετὴ παρὰ τὸ Ἄρης, id est, à *Marte*; & virtus à viro dicto primum ad fortitudinem, posteà ad quemlibet laudatum habitum significandum videtur adhibita. *Plato* ἀγαθὸν derivat ἀπὸ τοῦ ἄγειν, id est, *ducere*, quòd nos amore sui ducat, & impetum animi ad sese moveat. *Seneca Ep.* 118.

3. Bonum dicitur, quicquid alicui congruum est ac conveniens: malum contra, quicquid alicui adversum est, ac repugnans. Hinc sequitur, ut bonum naturâ suâ desiderium concitet & amorem; malum, odium & fugam.

4. Unaquæque res appetit bonum non quodlibet promiscuè, sed id, quod sibi bonum est: sicuti quælibet res repudiat, non quodcunque malum, sed quod sibi malum est. Atque

que hoc sensu intelligendus est *Aristoteles*, cùm bonum à posteriore definit, ὃ πάντα ἐφίεται. Id est, *quod omnia appetunt lib. 1. Et. cap. 1.*

5. Ut res variæ sunt, & varius rerum appetitus; ita multiplex est forma boni & mali etenim res quædam sunt, quæ innato appetitu, sine prævia cognitione in bonum feruntur, aut à malo refugiunt: aliæ in bonum feruntur, & à malo refugiunt appetitu elicito, hoc est, appetitu, qui à præeunte objectæ rei notitiâ excitatur atque dirigitur. Illæ semper feruntur in id, quod revera bonum est; & refugiunt ab eo quod revera malum est, hæ feruntur etiam in id, quòd reverà bonum non est, sed videtur esse, & aversantur etiam id quod malum non est, sed videtur esse.

6. Hujus discriminis causa est, quòd appetitus innatus non possit à scopo aberrare: fluit enim à cujusque rei naturâ. At appetitus elicitus aberrare à scopo suo potest quia à prævia rei notitia, quæ non ratò falsa est movetur, ac dirigitur.

7. Appetitus elicitus, non solùm in homine; sed etiam in brutis est: verùm bonum & malum, prout ad bruta, aut ad appetitum innatum spectat non est hujus loci. Sufficerit hic considerâsse, quod ad hominis appetitum pertinet. Quanquam & hoc geminum: aliud enim naturæ viribus respondet, aliud non nisi gratiæ

gratiæ peculiaris auxilio poteſt obtineri. Unde illud naturale, hoc gratiæ, ſive ſpirituale bonum appellari ſolet. Sed ſpirituale bonum Theologis relinquimus; de naturali bono nobis erit ſermo.

8. Bona naturalia diſtribuuntur in tria genera: in bona animi, corporis, & fortunæ, ſive bona externa, *lib. 1. Eth. cap. 8. & lib. 1. Mag. Moral. cap. 3.*

9. Bona animi ſunt animo convenientes habitus, tam ſpeculativi, quàm practici: & actiones, quæ ex iis proficiſcuntur; ut & voluptas, quæ iſtarum actionum comes eſt. His enim rebus animus ornatur, ac perficitur.

10. Bona corporis ſunt ſanitas, robur, pulchritudo: item ſenſuum externorum, & internorum integritas: ingenium, indoles, & id genus aliæ dotes, quæ pendent à corporis εὐκρασία. *lib. 1. Rhet. cap. 5.*

11. Bona fortunæ ſunt nobilitas, honor, laus, gloria, bona fama: item εὐτυχία, amici, libertas: ac tandem divitiæ, quæ partim naturâ conſtant, ut pecora, plantæ; partim lege, ut nummi, ſervi: partim arte, ut ædificia, ſuppellex. *lib. 1. Rhet. c p. 5.*

12. Nobilitas, (ut de bonis animi & corporis nihil dicam ſingulatim) eſt dignitas familiæ, ob antiquam virtutem majorum, in poſteros, legitimâ ſucceſſione derivatam à principe, aut eo qui jus habet majeſtatis, ſolenniter

lenniter collata, & certis privilegiis munita.

13. Nobilitas ergo non est merum figmentum, sed fundamentum habet in natura. Siquidem bonis, & generosis inest facultas quædam procreandi, quoad fieri potest, sibi similes, hoc est, ingenuos & faciles ad virtutem. *Arist. in fragm. de Nobil.* Mores enim animi sequuntur temperamentum corporis: corpus autem, ejúsque temperamentum, à parentibus in liberos transfundi, vel ipsa docet experientia.

14. Veruntamen, quia magis à consuetudine virtus, quàm à naturâ pendet, sæpè fit, ut, quos natura fecerat ad virtutem, ii pravâ consuetudine ab avitâ virtute familiæ suæ degenerent. Etenim quo quis præstantiorem nactus est indolem, eo deterior evadit, quum consuetudo naturam pervertit. Hinc natum est proverbium; *Heroum filii noxæ.*

15. Qui à majorum virtute degenerant, nihil nobilitatis habent, præter opinionem & titulum; re ipsâ carent. Quod enim virtute partum est, vitiis amittitur.

16. Honor est externum signum εὐεργετικῆς δόξης, id est, *beneficæ opinionis*, quod exhibetur viro bono tanquam præmium virtutis, ut alii illius exemplo ad virtutem incitentur Ex *lib.* 1. *Rhetor. cap.* 5. & *lib.* 4. *Ethic. cap.* 3.

17. Ex qua definitione tria consequuntur.

1. Hono-

1. Honorem potiùs in honorante esse, quàm in honorato. *lib.1. Eth. cap.5.* hoc est, pendere magis ab arbitrio honorantis, quàm honorati. 2 Non deferri improbo. Qui enim improbo defertur, non honor est, sed honoris umbra: quæ non virtuti, sed consuetudini tribuitur. 3. Non deferri ab improbo. Improbus enim neque de virtute sincerè judicare potest, nec quenquam virtutis causâ amare. Quod tamen necesse foret, si verum honorem alteri deferret.

18. Laus est honor qui oratione, fit aut λόγῳ ἐμφανίζων μέγεθος τῆς ἀρετῆς. Id est, *oratio ostendens magnitudinem virtutis, lib. 1. Rhet. cap.9.* Gloria est consentiens laus bonorum de excellente virtute benè judicantium. *Cicer. Tusc. quæst. l.3.* Εὐδοκία ἐστὶ τὸ ἀπὸ πάντων σπουδαῖον ὑπολαμβάνεσθαι, ἢ τοιοῦτο τι ἔχειν, ὃ πάντες ἐφίενται. Id est, *bona fama est, ab omnibus præditum virtute censeri, vel tale quid habere, quod omnes expetunt. lib. 2. Rhetor. cap.5.* Reliquas bonorum externorum species percurrere non est operæ pretium.

19. Bona animi, quia sunt in nostrâ potestate, magis quidem propriè bona dicuntur, quàm bona corporis, aut bona externa, quæ in nostrâ potestate non sunt posita, *lib.1. Eth. cap.8.* Bona tamen corporis, & bona externa, ἀπλῶς, hoc est, natura sua bona esse; ac proinde ἀπλῶς mala, quæ hisce bonis sunt opposita, ut morbus, dolor, ignominia, paupertas,

ἀτεκνία,

ἀπειρία, ἀφιλία, &c. firmis rationibus potest contra Stoicos ostendi.

20. Etenim id ἁπλῶς bonum est, quod bonum auget: ut & id ἀπλῶς malum, quod bonum minuit. Atqui melius est, animi bonis simul, & bonis externis, quàm solis animi bonis instructum esse, & cæteris bonis carere, vel etiam malis affligi, quæ illis sunt opposita. Nam sapienti non minùs benè esse, cùm in Phalaridis tauro torretur, aut in Nicocreontis mortario ferreis pistillis tunditur, quàm cùm in rosis, ac violis otiosè philosophatur, μεγαλοφρονήματα sunt & μεγαλορρήματα Stoicorum, quæ ore profitentur, vitâ refellunt.

21. Præterea, pleraque animi bona nec acquirere possumus, nec uti acquisitis, si ab externorum bonorum, εὐπορία penitùs sumus imparati. Qui enim totâ vitâ æger est, aut aliorum voluntati emancipatus, qui possit is animum suum sapientiâ, qui possit moribus munire? At sapientiâ, & moribus munitum esse, res est per se desiderabilis, etiam iis, qui nullâ suâ culpâ impediti, has virtutes non possunt consequi.

22. Interim virtus est res adversas forti animo perpeti. Verùm hinc non est colligendum, res adversas non esse mala, sed potiùs esse mala: siquidem fortitudo, & patientia, non nisi in malis est occupata.

23. Quia

23. Quin ipsi Stoici fatentur, sanitatem, indolentiam, libertatem, divitias, honores, ejusmodi res esse, quas etiam sapiens præ morbo dolore, servitute, paupertate, infamiâ debeat eligere. Atqui electio boni est. Sequitur ergò, bona externa, & bona corporis rectè ab *Aristotele* numerari inter ea, quæ ἁπλῶς bona sunt, *lib. 5. Eth. cap. 1.* & verè mala esse, quæ his sunt contraria.

24. Ex quo porrò sequitur, minùs esse malum, hisce bonis excidere, quàm semper carvisse: nec esse infelicissimum genus infortunii (ut *Boëthius* existimat, *lib. 2. de cons. Phil.*) fuisse felicem. Minus enim malum est, quod postremâ tantùm vitæ parte malum est, quàm quod totâ vitâ malum est. Quòd autem lætiores fortuna relinquat, quos nunquam respexit, (ut *Senecæ* verbis utar) quàm quos deseruit, id non arguit mutatæ vitæ conditionem esse graviorem sed homines secundâ fortunâ malè usos ægriùs tolerare adversam.

CAP. III.

Variæ sententiæ de felicitate.

§. 1. BOnum est vel finis, vel medium: finis appetitur propter se. medium non nisi propter finem, *lib. 1. Mag. Mor cap. 2.* Medium enim non suâ, sed finis bonitate bonum est. Unde licèt medium in

se

se malum sit, appetitur tamen tanquam bonum, quando finis alicujus gratiâ appetitur.

2. Fines alii aliis subordinantur, hoc est, alii propter alios appetuntur. In qua subordinatione non proceditur in infinitum, sed datur ultimus aliquis finis; ad quem omnia sic referuntur, ut ipse ad nullum finem ulteriorem referatur.

3. Etenim natura nihil facit frustrà, aut imprudenter; cùm nihil aliud sit, quàm ordinaria Dei potentia quam in universi gubernatione exerit. Atqui appetitus boni, quem nobis indidit natura, frustrà esset, si nullum bonum esset, quod sui solius gratiâ appeteretur, quodque posset appetitum satiare. *lib.* 1. *Eth. cap.* 1. Datur ergò ultimus aliquis finis, in qv homo potest, & debet acquiescere.

4. Finis, quo ulterior, eo melior est, ac perfectior: quia propter quod unumquodque appetitur, id magis appeti, ac proinde melius esse, necesse est. Ultimus ergò finis hominis erit optimus, atque adeò summum bonum. *lib.* 1. *Eth. cap.* 2. & 7.

5. Summi boni cognitio μεγάλλω ἔχει ῥοπὴν πρὸς τὸν βίον, id est, *magnum habet momentum ad degendam vitam.* lib. 1. Eth. cap. 1. Summo enim bono, ac fine constituto, omnia constituta sunt; inventa via vitæ est, confirmatióque omnium officiorum. *Cic. lib.* 5. *Acad. quæst.*

6. Omnes

6. Omnes homines unanimi consensu summum bonum vocant εὐδαιμονίαν, μακαρισμὸν, εὐτυχίαν, *felicitatem, ac beatitudinem.* Εὐδαιμονία, vox est composita ex εὖ & δαίμων, id est, *dæmon, genius.* Eam *Aristoteles* εὐζωίαν καὶ εὐπραξίαν interpretatur. *lib.* 1. *Eth. cap.* 4. & 8. quia scilicèt τὸ εὖ ζῆν, καὶ τὸ εὖ πράττειν, id est, *benè vivendo, & benè agendo,* homines dæmonibus assimilantur, καὶ ὅσον ἐν ἀνθρώποις, δαιμονίζονται. Id est, *quantum fieri potest immortalitatem consequuntur.* Μακαρισμὸς dicitur ἀπὸ τοῦ μᾶλλον χαίρειν, Id est, *maximè gaudere:* quia felicitas cum gaudio conjuncta est. *l.* 7. *Eth. cap.* 11. Εὐτυχία videtur ἢ τοι ταὐτὸν εἶναι τῇ εὐδαιμονίᾳ, ἢ ἐγγὺς: id est, *aut idem esse, quod felicitas, aut parùm ab ea differepare, lib.* 2. *Physic. cap.* 6. idque, vel quia vulgus in fortunæ bonis felicitatem ponit, vel quia felicitas sine fortunæ bonis nemini obtingit.

7. Quid rei felicitas sit, in eo valdè semper dissensum est, non solùm inter Philosophos, sed etiam inter vulgus, ut nullâ in re magis. Atqs hoc liquet ἐκ τοῦ βίου, id est, *ex vitæ conditione ac studiis,* quæ certè sunt diversissimæ: *lib.* 1. *Et. cap.* 5. In eo enim unusquisque ponere felicitatem judicandus est, quod maximè affectat, ac consequi annititur; & ad quod reliqua omnia refert, quæcunq; præter illud expetit. Atqui plerique in eo omne studium

ponunt

ponunt, ut eam rem consequantur, quam vitæ suæ judicant esse convenientissimam. Unde etiam mutatâ conditione vitæ, cum studiis mutant de felicitate sententiam: & qui sani, felicitatem collocabant in divitiis, iidem ægri, sanitatem præferunt divitiis. *lib. 1. Eth. cap. 4.* Ex quo planè sequitur non posse ex alia re certiùs innotescere, quam quisque habet de summo bono sententiam, quam ex studiis & conditione vitæ.

8. Omnes de felicitate sententias enumerare, non fuerit operæ pretium: sufficerit recensuisse τὰς μάλιστα ἐπιπολαζούσας, hoc est, *quæ cæteris vulgatiores sunt*, aut aliquâ rationis similitudine niti videntur. Atque hæ sunt duorum generum: alii enim felicitatem ponunt in bonis obviis, ac manifestis; alii, in obscuris, & à communi vitâ remotis. *lib. 1. Eth. cap. 4.*

9. Qui in bonis obviis felicitatem ponunt, quadripartiti sunt: tot enim vitæ genera μάλιστα περιέχοντα, id est, *quæ maximè excellunt.* Atque horum οἱ ὑλῶν φορτικοὶ id est, *homines abjecti ac viles*, (quales sunt ij qui ferendis oneribus victum quærunt) felicitatem ponunt in divitiis, uti οἱ χρηματικοὶ: vel in voluptate corporeâ, ut οἱ τρυφερώτατοι. Οἱ δὲ χαρίεντες, i. e. *homines elegantiores atque ingenuarũ artium studio politi*, felicitatẽ in honore, aut virtute consistere existimant, ut οἱ πολιτικοὶ καὶ πρακτικοὶ:

πραγματικοὶ: aut in contemplatione rerum, ut οἱ θεωρητικοὶ. *lib.* 1. *Eth. cap.* 5.

10. In divitiis non consistit felicitas. Primo, quia ὁ βίος χρηματιστικὸς, βιαιός τις ἐστί, id est, *vita quæ in pecuniæ quærendæ studi consumitur, violenta est, & latrocinium sapit.* lib. 1. Eth. cap. 5. Divitiæ enim, sæpè injustè, semper anxiè quæruntur, & *curâ majore meâque servantur.* Deinde, quia divitiæ sunt in numero bonorum utilium, quæ non sui, sed aliorum gratiâ expetuntur. *lib.* 1. *Eth. cap.* 5.

11. Qui in corporea voluptate felicitatem ponunt, vitam eligunt pecude quàm homine digniorem. Animum enim (quâ solâ parte homines sumus) corpori emancipant, mentemque nunquam supra sensus attollunt. Atqui felicitas est homini peculiaris, ac propria: non est ergo in corporis voluptatibus quærenda. *lib.* 1. *Eth. cap.* 5.

12. *Eudoxus* etiam in voluptate felicitatem collocavit, *lib.* 10. *Eth. cap.* 2. Eúmque secutus *Epicurus*: sed aliâ planè mente. Non enim eas voluptates intelligunt, quæ sunt sitæ ἐν ἀκολασίαις, id est, *in gustu atque ingluvie*: sed quas ὁ φρόνιμος λογισμὸς ὁ τῆς αἰτίας ἐξηρευνῶν πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς, id est, *ratio sobria, quæ causas perscrutatur, cur quæque eligenda, aut fugienda sunt*, suppeditat, quæque sunt ab honesta vita inseparabiles. Sic ipse sese interpretatur *Epicurus Epist. ad Menecæum apud Diog.*

Diog. Laert. in vita Epicuri. Quanquam alii aliter Epicuri sententiam interpretantur.

13. Hæc sententia non est quidem intolerabilis, ut est illa vulgi; non tamen satis accuratè felicitatem exprimit. Nam voluptas boni affectio potius est, aut comes boni fruitionem necessario consequens, quàm ipsum bonum. Neque enim bonum expetitur propter voluptatem, sed voluptas ex boni expetiti fruitione nascitur. ὡς τέλος ἐπιγιγνόμενον. Id est, *ut finis ac perfectio extrinsecùs perveniens. lib.* 10. *Eth. cap.* 4. Quocirca, cum felicitas sit bonum propter se, sequitur, non esse sitam in voluptate, sed voluptatem ex eâ nasci.

14. Politicorum sententia in honore, aut virtute felicitatem ponentium, sic refellitur. Honor est ἐπιπολαιότερόν τι, id est, *infirmius quid, minúsque stabile*, quàm ut homines possit efficere felices. Honor enim in honorante potiùs est, quàm in honorato: at felicitas οἰκεῖόν τι καὶ δυσαφαίρετον, id est, *proprium quid* est, *& ejusmodi, quod non facile possit eripi, lib.* 1. *Eth. cap.* 5. Deinde felicitatem omnes expetunt propter se; honorem, vel ut signum τῶν ἐν παθείαις, id est, *benevolentiæ*, aliorum erga se, *lib.* 8. *Eth. cap.* 8. vel ut argumentum suæ virtutis; scilicet, ἵνα πιστεύσωσιν ἑαυτοὺς ἀγαθοὺς εἶναι. Id est, *ut credant ipsi se bonos esse, lib.* 1. *Eth. cap.* 5. Καὶ ἵνα βεβαιώ-

σωσι τὴν οἰκείαν δόξαν περὶ αὐτῶν τῇ τιμῇ, ὡς τῇ τῶν λεγόντων κρίσει. Id est, *ut in eâ opinione quàm ipsi habent de seipsis, confirmentur honore sibi delato, veluti si illi, qui honorem deferunt, id conceptis verbis testarentur. lib. 8. Ethic. cap. 8.*

15. Ex quibus sequitur, virtutem esse præstantiorem honore, etiam politicorum judicio, (siquidem sibi consentiunt,) eamque videri potius ultimum esse finem civilis vitæ Sed ne virtus quidem ad felicitatem sufficit. Potest enim is, qui virtute præditus est, totâ vitâ ἀπρακτεῖν, καὶ πρὸς τούτοις κακοπαθεῖν καὶ ἀτυχεῖν τὰ μέγιστα id est, *nihil agere, præterea maximis in malis, ac calamitatibus versari:* quæ sane vita longe abest à felicitate, *lib. 1. Eth. cap. 5* His adde, habitus non sui sed actionum suarum gratiâ parari. *lib. 1. Eth. cap. 8.* Non potest ergo virtutis habitus esse summum bonum.

16. Hæc sententia vulgo tribuitur Stoicis, sed non scio, an satis consideratè. Non enim ii fuisse videntur Stoici, qui putârint virtutis habitum ad felicitatem sufficere; actionem non requiri. Beatam enim vitam illi ὁμολογίαν vocant: (Cicero lib. 3. de finibus *Convenientiam* vertit.) Ὁμολογουμένως ζῆν, id est, *convenienter vivere*, interpretantur καθ' ἕνα λόγον ζῆν, id est, *vitam vivere sibi per omnia consentientem:* quod certè nihil est aliud

aliud, quàm ſecundùm virtutem vivere. Vita enim virtute ſibi poteſt conſentire, non in vitiis; quia virtus ἁπλῆν, καὶ μονοειδὲς, id eſt, *res ſimplex atque uniformis*: vitium ἄπειρον καὶ πολυειδὲς, i. e. *res infinita, ac multiformis. lib.* 1. *Eth. cap.* 6. *& lib.* 2. *Mag. Mor. cap.* 25 Alii beatè vivere definiunt ζῆν ὁμολογουμένως, ἢ κατὰ φύσιν Id eſt, *vivere convenienter naturæ* Quod ipſi interpretantur, κατ' ἀρετὴν ζῆν, id eſt, *ſecundum virtutem vivere*, φύσεως nomine, vel humanam naturam intelligentes, quæ recta ratio eſt; vel τὸν θεὸν εἰς φύσιν ἀνθρωπίνως μετονομάζοντες. Id eſt, *Dei nomen, in nomen naturæ decorè tranſmutantes.* Nam certè, quid eſt aliud vivere ſecundùm rectæ rationis dictamen, aut ſecundùm Dei legem, quam Deus in hominum animis expreſſit, quàm vivere ſecundum virtutem. Ex quibus liquet; Stoicos non in nudo virtutis habitu, ſed in virtutis exercitio felicitatem collocâſſe. *Vid. hac de re Diog. Laert. in vit. Zenon. Clem. Alex. l.* 2. *Strom. Stob. in eclog. Eth. De expet. & fug.*

17. Cùm ergo Stoici in ſola virtute felicitatem conſtituunt, non actionem virtutis, ſed corporis, & fortunæ bona, quæ ipſi inter bona non numerant, à felicitate ſecludunt; & in eo â Peripateticis diſſentiunt quàm rectè, ex ſequentibus rationibus liquebit.

18. Sumamus primò, quòd cap. 2. demonstravimus, bona corporis, & fortunæ, verè bona esse. Quod si hæc bona felicitate non continentur felicitas erit bonum συναριθμούμενον. Cum bonis enim corporis ac fortunæ numerari, eorumque accessione augeri poterit; siquidem bonum boni συναριθμούμενον quamvis minimi, accessione augetur. At felicitas, cum sit summum quid, & optimum, augeri non potest. Nullum ergo datur bonum, quod felicitate non continetur. *lib.* 1. *Eth. cap.* 7 *lib.* 1. *Mag. Mor. cap.* 2.

19. Deinde felicitas, non solùm hominis animum, sed hominem beare debet omni ex parte: quia felicem esse, idem est quod εὖ ζῆν, id est, *bene vivere*, At vita humana non in solius animi, sed in totius hominis vigore posita est. Is ergo beatè vivit, qui non secundùm animum tantùm, sed & secundum corpus bene vivit: quod certè sine corporis & fortunæ bonis fieri non potest.

20. Sed demus, corpus ad hominis substantiam non pertinere; sed, ut Plato voluit, hominem esse animum corpore utentem: nihilominus erunt bona corporis, & fortunæ, cum felicitate conjungenda. Nam felicitas esse nequit sine animi εὐπραξία, sed animus εὐπράττειν non potest in vitioso corpore; nisi forte, & fatuis, & phreneticis non minùs via pateat ad felicitatem, quàm iis, quibus est mens

mens ſana in corpore ſano. Ea quidem mala quæ animi uſum non tollunt, qualia ſunt paupertas, morbus, dolor, & id genus alia, conſtanti animo perferre pulchrum eſt, ſi ea non voluntas accerſit, ſed neceſſitas imponit; melius tamen eſt, animum ab hac neceſſitate liberum; ſibi, & ſuis vacare.

21. Qui felicitatem in contemplatione ponunt, quales ſunt ii, qui vitam vivunt ſpeculativam, à veritate quidem non aberrant; ſed non omnem veritatem afferunt. Eſt enim contemplatio ad felicitatem conceſſaria, ſed non ſufficit. Oportet enim virum beatum, οὐ μόνον θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων, ἀλλὰ καὶ πρακτικὸν τῶν δεόντων. Id eſt, *non ſolum ſpectare quæ ſunt, ſed facere quæ facienda ſunt. Plut. l. 1. de placitis Philoſ.* Natura homines hominibus arctiſſimâ lege conjunxit mutuorum officiorum: hanc legem diſſolvunt, ipſamque humanitatem exuunt, quicunque vitæ ſocietati ſeſe eximunt, vitamque ſpeculativam ſic amplectuntur, ut deſerant civilem.

22. Supereſt ſententia Platonis, felicitatem non in bonis obviis, ſed in rebus abſtruſis collocantis nempe in idea boni. Plato enim exiſtimavit (ut autor eſt Ariſtoteles) παρὰ τὰ πολλὰ ταῦτα ἀγαθὰ, ἄλλό τι καθ' αὑτὸ εἶναι, ὃ καὶ τοῖς δὲ πᾶσιν αἴτιόν ἐστιν τοῦ εἶναι ἀγαθὰ, ἢ οὗ τάλλα μετασχόντα ἀγαθὰ ἐστιν. Id eſt, *præter ſingularia hæc bona, aliud quiddam eſſe,*

quod per se bonum est, & causa his omnibus, quod bona sint, sive cujus participatione reliqua bona sunt, lib. 1. Eth. cap. 4. & lib. 1. Mag. Mor. cap. 1. Atque hoc bonum αὐτἀγαθὸν, ipsum bonum & ideam boni appellat.

23. Quod si Plato per Ideas intellexit, ἐξηρημένας τῶν ὄντων καὶ ὑφεστώσας ὑπάρξεις, id est, *naturas seorsim a rebus subsistentes*, Aristoteles non solum ideas solidè refutavit, sed etiam ostendit, etsi darentur ideæ perperam tamen in ideâ boni felicitatem constitui. Nam τὸ χωριστὸν αὐτὸ καθ' αὐτὸ, ἔτε πρακτὸν, ἔτε κτητὸν ἔστιν ἀνθρώπῳ. Id est, *id quod ab aliis sejunctum est, ac per se subsistit, non cadit sub actionem humanam, neque ab homine comparari potest. lib. 1. Ethic. cap. 6.* Imò ne cognitionem quidem boni separati quicquam conferre ad ea bona consequenda, quæ sunt in nostrâ potestate. *lib. 1. Eth. cap. 6.* Actiones enim nostræ in singularibus sunt occupatæ, & ab occasione ac circumstantiis earum pendet bonitas. *lib. 2. Eth. cap. 2.* ut dari non possit, unum aliquod, atque immutabile nostrarum actionum παράδειγμα, quod semper in actionibus nostris imitemur. *lib. 2. Eth. cap. 6.*

24. Verùm Platonici aliter sententiam præceptoris sui de ideis, deque felicitate interpretantur. Alcinous Platonem per Ideas intellexisse docet νοήσεις θεῦ αἰωνίους τε καὶ αὐτοτελεῖς. Id est *notiones Dei aternas, atque*

in

in se ipsis perfectas. cap. 9. de doctr. Platon. & felicitatem posuisse ἐν τῇ ὄψει μόνῃ, καὶ θεωρίᾳ τοῦ πρώτου ἀγαθοῦ, ὅπερ θεόν τε, καὶ νοῦν τὸν πρώτον προσαγορεύσαι ἄν τις. Id est, *in primi boni scientia ac contemplatione, quod quis Deum & primam mentem rectè appellaverit, cap. 27.* Plutarchus Ideas Platonis definit, οὐσίας ἀσωμάτους, ἐν τοῖς νοήμασι καὶ ταῖς φαντασίαις τοῦ θεοῦ ὑφεστώσας. Id est, *substantias corporis expertes in mente, & cogitationibus Dei subsistentes. lib. 1. de placitis Philos. cap. 3. & 10.* Hæc de ideis sententia est pulcherrima; de felicitate planè divina. Veruntamen, quia hic agimus de felicitate hominis etiam in hac vitâ, sic in contemplatione primi boni constituenda est felicitas, ut ea à felicitate non sejungantur, quæ faciunt ad vitam civilem commodè transigendam: tum ob rationes contra Stoicos allatas, tum quia humana natura non est αὐτάρκης πρὸς τὸ θεωρεῖν ἄνευ τῆς ἐκτὸς εὐπρεπείας. Id est, *sufficiens ad contemplandum, sine extra-*

CAP. IV.

Vera ſententia de fælicitate humana.

§ I.

EXaminatis aliorum de humana felicitate ſententiis, ſupereſt, ut quid de felicitate ſentiendum ſit, κατασκευαστικῶς delineemus.

2. Felicitatem omnes arbitrantur eſſe rem optimam, perfectiſſimam, & αὐταρκεστάτην, atque adeò tale quid, quod planè expleat hominis appetitum, ita quidem, ut, qui felix eſt, nihil boni poſſit deſiderare. *lib. 1. Eth. cap. 7. & lib. 1. Mag. Mor. cap. 2.*

3. Ex quo ſequitur felicitatem non eſſe aggregatum quid ex pluribus bonis ſimul concurrentibus *lib. 1. Mag. Mor. cap. 2.* Ut bene Boëthius felicitatem definiverit, Statum om- [illegible] perfectum. *lib. 3. de conſ. Phil.*

4. Cum ergo felicitas *ſummum bonum* eſſe dicitur, non hoc ſolum dicitur, felicitatem eſſe poſitam in eo bono, quod inter omnia bona maximum eſt; ſed quod ita perfectum eſt; ut nullius boni acceſſione poſſit augeri. *lib. 1. Eth. cap. 7. & lib. 1. Mag. Mor. cap. 2.*

V. Sicuti

5. Sicuti bona alia aliis majora sunt, ita non omnia æquè necessaria sunt ad felicitatem: quædam enim ad felicitatem pertinent ὡς κύρια, quædam ὡς συμβάλλοντα, cætera ὡς ἐπηρεπτικά. Illa felicitatis essentiam constituunt, ista consequuntur, hæc faciunt solum ad felicitatis integritatem.

6. Bona animi, hoc est, virtus & ejus actiones, sunt κύρια τῆς εὐδαιμονίας. *lib.* 1. *Eth. cap.* 10. Felicitatis enim essentia κατ' ἕξιν posita est in habitu virtutis; κατ' ἐνέργειαν, in operatione. *lib.* 1. *Eth. cap* 8.

7. Voluptas animi, quæ ex virtute nascitur, & conscientiâ rectè factorum, est felicitatis τέλος συμβάλλον. *lib.* 10. *Eth c.* 4. Vita enim beata voluptatem habet inclusam in seipsâ non autem eâ indiget ὡς ἄκεια τούτῳ, id est, *ut appendice lib.* 1. *Eth. cap.* 8.

8. Bona Corporis, & Fortunæ, secundariò tantùm pertinent ad felicitatem: non enim faciunt ad illius essentiam, sed ad integritatem. Vita enim beata illis indiget, vel ut instrumentis, vel ut ornamentis. Sanitas, robur, sensuum vigor, ingenium, indoles, liberas, amici, divitiæ; &c. sunt instrumenta felicitatis. Impossibile enim est, aut certe difficile τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. Id est, *ut præclaras res gerat; cui nullæ facultates suppetunt. lib.* 1. *Eth. cap.* 8. Nobilitas, honor, laus, gloria, bona fama, pulchritudo, εὐτεκνία,

&c. sunt felicitatis ornamenta. Καὶ γὰρ τῶν τὸ συνεπικοσμεῖν πέφυκε, καὶ ἡ χρῆσις αὐτῶν καλὴ καὶ σπουδαία γίγνεται. Id est, *hæc enim ornamento sunt naturâ suâ, & eorum est usus bonus, lib.* 1. *Eth. c.* 10. Si quis his bonis destituatur, ἐκ ἔστι πάνυ εὐδαιμονικὸς. Id est, *non est, ei facile felicitatem consequi.* Felicitatis enim splendor in eo obscuratur atque inquinatur. *lib.* 1. *Eth. cap.* 8.

9. Felicitas est μόνιμόν τι καὶ ἱκανῶς ἐυμετάβολον. Id est *firmum quid, ac prope immutabile. lib.* 1. *Eth. c.* 10. Firmitatem habet à virtute. Ea enim humanorum bonorum est stabilissimum; ut etiam ipsas scientias vincat stabilitate: Nam non modò non potest eripi invitis, sed nec oblivione amitti διὰ τὸ συνεχέστατα ζῆν ἐν αὐτῇ τοὺς μακαρίους. Id est, *quia beati in eâ indesinenter vivunt. l.* 1. *Eth. c.* 10. Cùm ergo in virtute consistat essentia felicitatis, sequitur, neminem posse fieri miserum, licet multis & maximis corporis, & fortunæ malis urgeatur, quamdiu virtutem servat, atque ita se gerit, ut nihil committat viro bono indignum. Vir bonus enim utramque fortunam φέρῃ εὐχερῶς id est, *fert decenter:* καὶ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ἀεὶ πράξει τὰ κάλλιστα, id est, *semper ex iis, quæ suppetunt, facit optimum. lib.* 1. *Eth. cap.* 10.

10. Etsi autem mutatio bonorum corporis ac fortunæ, non auferat felicitatis essentiam

tiam, detrahit tamen integritatem. Mala enim his bonis oppoſita θλίβει καὶ λυμαίνεται τὸ μακάριον λυπάς τε ἐπιφέρει καὶ ἐμποδίζει πολλαῖς ἐνεργείαις. Id eſt, *vitam beatam in anguſtias redigunt, & corrumpunt, & dolores inferunt, multisque actiones impediunt. lib. 1. Eth. c.* 10. Quemadmodum autem abſciſſa manus non tollit humanitatem, ſed facit hominem mutilum; ita etiam, ſi quis bonis corporis, & fortunæ deſtitutus, cæterùm ſit vir bonus, non deſinet eſſe felix, ſed felix erit felicitate mutilata. Si cui autem corporis, & fortunæ mala, animi conſtantiam, aliaſve virtutes excutiant, non ita tùm felici ati integritatem detrahunt, ſed & ejus eſſentiam minuunt.

11. Quum Ariſtoteles felicitatem definit, ἐνέργειαν ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν ἀείσιν καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ, id eſt, *operationem animæ rationalis ſecundum optimam & perfectiſſimam virtutem in vita perfecta. lib. 1. Eth. cap. 7.* ſolam eſſentiam felicitatis exprimit: quæ ad integritatem ſpectant, ſequenti cap. addit, Per vitam perfectam intelligit vitam hominis adulti. In virtute jam juſto tempore tranſactam, ut innuat, neque puerum poſſe felicitatem conſequi, nec adultum brevi tempore ad felicitatem pervenire. Quoniam enim felicitas perfectum bonum eſt, debet eſſe ἐν τελείῳ, id eſt, *in eo, quod perfectum eſt.* Ergo non erit in puero, ſed in viro; quoniam non

puer

puer, sed vir *perfectus* est: neque in tempore imperfecto, sed in perfecto. tale autem est tempus totius humanæ vitæ. *lib. 2. Mag. Mor. cap. 4. & lib. 2. Eud. cap. 1.* Nam ut una hirundo non facit ver, sic neque dies unus, neque exiguum tempus efficit felicitatem. *lib. 1. Eth. cap. 7.*

12. Nec tamen

——— *Vltima semper* (ut voluit Solon)
Expectanda dies homini est, ut nemo beatus
Ante obitum dici supremaque funera possit.

Nam si quis, cùm diem suum obiit, dici potest fuisse felix, quidni potuerit dic felix esse, antequam obieret *lib. 1. Eth. cap. 10.* Etenim rerum humanarum mutabilitas non facit mutabilem, nec conversio tollit felicitatem: nedum, ut possit efficere, ut desinat felix fuisse, qui semel fuit felix.

13. Felicitas dividitur in speculativam et practicam. Nam ad duo nos natura genuit, ad contemplationem rerum, & ad actiones. *Senec. de otio sap.* Non sunt autem hæ species felicitatis, sed partes, ex quibus una hominis felicitas constituitur. Non enim vel θεωρία τῶν ὄντων, vel πρᾶξις τῶν δέοντων homo in hac vitâ perfectè beatus efficitur, sed utrâq; simul junctâ.

14. Felicitas speculativa consistit in optimâ, ac perfectissimâ virtutum intellectualium, nempè in sapientiâ practica, in optimâ ac

ac perfectissimâ virtutum moralium, nempe in justitia universali Et quia universalis justitia omnes virtutes morales suo ambitu complectitur, nemo practicam felicitatem consequitur, nisi qui omnes virtutes morales prudentiæ beneficio, quâ illæ inter se connectuntur, fuerit consequutus.

15. Sapientiæ munus est contemplari res necessarias, & inter eas præcipuè Deum. Reliqua enim entia sunt veluti gradus, quibus hominis animus ad Dei contemplationem subvehitur. Nam τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, id est, *quod de Deo* naturaliter *cognosci potest*, in creaturis expressum est. *Rom.* 1.

16. Contemplatio Dei non consistit in superficiariâ quâdam opinione de illius naturâ, proprietatibus, ac providentiâ, sed in firmissimâ, atque efficacissimâ quâdam persuasione: cujus vis non in solâ mente hæret, sed ad voluntatem etiam pertinet. Nam qui Deum novit sincerâ & ab affectibus purgatâ mente, fieri non potest, ut is Deum pio, ac religioso amore non prosequatur.

17. Igitur sapientia hominem gemino vinculo cum Deo conjunxit, *Cognitione & Amore*. Per cognitionem homo Deo assimilatur ac quodammodo ἀποθεοῦται ὅσον δύναται τὴν ἀνθρώπῳ θείας μοίρας μεταλαχεῖν. Id est, *Deus fit, quantum quidem fieri potest, ut homo fiet particeps divinæ sortis, ac conditionis. Hieroc.*

in

in comm. ad Aurea Carm. Pythag. Anima enim intelligendo fit omnia: *lib. 3. de Anim. cap. 4.* Per amorem tam arctè cum Deo unitur, ut non in se, sed in Deo vivere, ac vigere videatur. Siquidem animus non tam est ubi animat, quàm ubi amat. Ex amore nascitur fiducia in Deum, animíque gratitudo, & patientia in rebus adversis.

18. Ad divinam hanc sapientiam nemo potest pervenire, nisi cujus animum virtus moralis expurgavit ἀπὸ τῆς ὑλικῆς ἀλογίας τῶν παθῶν, id est, *Ab affectuum fæce rationi contraria.* Quamdiu enim homo sensuum arbitrio potius quàm ratione vivit, & brutorum instar affectibus suis servit, nunquam mentem à rebus sensibilibus ad Deum attollit: aut si fortè de Deo, velut aliud agendo, in cura rerum humanarum cogitat, ματαιοῦται ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, id est, *evanescit in suis cogitationibus, Rom. cap. 1.* affectibus mentem suo pondere deprimentibus, & veluti trabali clavo corpori affigentibus. Etenim summa vanitas est, & pernicioſissima quædam ignorantia, arbitrari plus studii curæque humanis rebus, quàm Deo impendendum esse. Hâc vanitate atque ignorantiâ laborant, qui τῇ αἰσθήσει μᾶλλον ἢ τῷ λόγῳ προσέχουσι. Id est, *qui sensibus magis quam rationi attendunt.* Quorum ἀσύνετον καρδίαν Id est, *stolidum cor*, affectum caligo obscuravit. *Rom. cap. 1.*

19 Sicuti

19 Sicuti virtus moralis animum hominis ad divinam hanc sapientiam præparat, ita vicissim hæc sapientia virtutes auget. Quo enim quisque Deum cognoscit penitus, diligat ardentius,& colit religiosiùs, eo omnia officiorum genera præstat accuratiùs, quæ sibi,quæque aliis hominibus debet ex virtutis præscripto. Qui enim Deum diligunt, non solùm virtutem colunt,quia id honestum est, sed etiam quia id Deo gratum esse sciunt, atque acceptum.

20. Etsi autem agendo & contemplando ad felicitatem perveniatur; magis tamen ad felicitatem facit contemplatio,quàm praxis;sapientia, quàm virtus moralis. Etenim contemplatio est operatio perfectissimæ facultatis in homine, nempe mentis, habétque præstantissimum objectum, nempe Deum. Præterea sapientia voluptates habet sinceriores,& stabiliores,quàm virtus moralis. Denique τὸ αὐταρκὲς, καὶ σχολαστικὸν, καὶ ἄτρυτον, id est,*à se dependere,quietam,ac defatigationis expertem esse*,aliáque omnia,quæ felicitati solent tribui,sapientiæ magis conveniunt, vitæque speculativæ, quàm virtuti morali, aut vitæ practicæ *lib.*10.*Eth. cap.*7.

21. Felicitas practica est felicitas τοῦ συνθέτου id est,*totius hominis*: felicitas speculativa est χωρισμοῦ,id est, *animæ*, vel à corpore separatæ,vel copore utentis πρὸς μέτρον τῆς

τῆς χρείας, non abutentis πρὸς ἡδυπάθειαν. Ex quibus sequitur, ut felicitas practica hujus tantùm vitæ sit, speculativa etiam futuræ, & quidem maximè. Etenim in futura vitâ nullis perturbationibus locus erit, nullisve commerciis, quæ virtute morali dirigenda sint, animâ secundùm omnes suas facultates in solo Deo occupatâ.

22. Felicitas speculativa in hac vita admodum exigua est, & ferè nulla in iis qui solam naturam sequuntur ducem. Vis enim animæ à sensuum objectis ad res corporeas distrahitur, & in earum curâ defigitur, ut in divinis occupata desinat in vanas speculationes quæ voluntatem non afficiunt. Atq; hoc non in improbis solùm contingit, sed etiam in iis, qui morales virtutes colunt non negligentèr. Cùm enim Deus lucem inhabitet ἀπρόσιτον, id est, *inaccessam*, 1. *Timoth.* 6. nemo potest ad eum accedere, cujus mentem supernaturale lumen gratiæ, καταβαῖνον ἀπὸ πατρὸς τῶν φώτων, id est, *descendens à patre luminum*, non illustravit.

23. Ubi autem mens divinitùs illuminata agnoscit, quàm nihili sint res humanæ, & quàm minimè deceat, imò quàm non expediat præ iis Deum negligere, ejusque curam abjicere; tum incipit sese ad Deum convertere, eumque supra omnia amare, ac colere; sed incipit tantùm. Nam quia in hac vita gratuitum

tum hoc lumen nemini obtingit perfectè, ut etiam ii, qui cæteris magis illustrati sunt, fateantur se Deum ἐκ μέρους, id est, *ex parte* tantùm, veluti δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, id est, *per speculum in ænigmate* cognoscere: 1. *Corinth.* 13. sequitur etiam Dei amorem imperfectum esse. At in futura vitâ, ubi τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται, id est, *id quod ex parte est abolebitur*, Deum videbimus sicuti est, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, id est, *facie ad faciem.* Deum etiam amabimus unicè, & quantum potest fieri maximè.

24. Verùm enimvero ad tam sublimem felicitatis gradum non pertingit Philosophia. Ea enim intra naturæ limites sese continet, supernaturale lumen non agnoscit. Et licet statuere possit hominis felicitatem, non solum in exercitio virtutum moralium, sed etiam in hominis cum Deo conjunctione, hoc est, in Dei cognitione & amore, & quidem præcipuè, consistere; viam tamen indicare non potest, quâ ad Deum eatur. Via quæ ad Deum, ac proinde ad vitam & felicitatem æternam itur, est Christus: *Joan.* 14. *v.* 6 Christus non nisi ex Evangelio innotescit: Ethnicis, qui ex Philosophia felicitatem quærunt, Christus est stultitia; Judæis, qui ex lege servari volunt, scandalum; τοῖς κλητοῖς, id est, *vocatis* sapientia ac potentia Dei ad salutem: 1. *Cor.* 1. *Rom.* 1. His ergò rebus Theologiæ

giæ relictis, Philosophis experiendum est, quâ viâ & quousq; ratio humana possit ad felicitatem eniti. Viam ad felicitatem speculativam delineat Philosophia speculativa, præsertim Metaphysica, de qua aliàs: nunc videndum est quomodo perveniatur ad felicitatem Practicam ac civilem.

CAP. V.

De eo, quod invitum, ac spontaneum est.

§. 1.

VT autem intelligatur, quibus mediis ad eam felicitatis partem dicam, an gradum, qui felicitas civilis dicitur, perveniatur, quam Ethica consequi annititur, prius agendum est de actionibus humanis, & affectibus, item de voluptate ac dolore, quæ sunt actionum & affectuum comites (quod secundo loco proposuimus) tanquam de materia Philosophiæ moralis; ut quæ in actionibus & affectibus, ac proinde in voluptate ac dolore dirigendis, ac moderandis occupata est. *lib. 2. Eth. c. 2.* Qui enim agit id quod decet, iisq; animi affectibus concitatur

citatur, & eo modo, quo decet, quique iis rebus gaudet, ac dolet, quibus gaudendum ac dolendum est, ne ille felicitatem civilem consequutus est.

2. Actionum humanarum differentiæ sunt τὸ ἀκούσιον καὶ τὸ ἑκούσιον, id est, *invitum & spontaneum*. Etenim vel laus, vel vituperium vel præmiuum, vel pœna τὸ ἑκούσιον: venia, vel misericordia τὸ ἀκούσιον sequitur. Ex quo efficitur, non esse prætereundam doctrinam περὶ τοῦ ἀκουσίου καὶ ἑκουσίου, id est, *de eo quod invitum ac spontaneum est*, morum Philosophiam aggressis: *lib. 3. Eth. cap. 1.*

3. Invitum dicitur bifariàm; τὸ βίᾳ ἢ δ' ἄγνοιαν γινόμενον, id est, *quod per vim aut per ignorantiam fit: lib. 3. Eth. c. 1.*

4. Vis, ut definiunt I. Cti est majoris rei impetus, qui repelli non potest. *ff. De eo quod metûs causâ gestum est. lib. 2.* Eadem vocatur necessitas, quia necessariò agit, aut patitur, quisquis vi ad agendum aut patiendum impellitur.

5. Violentum est οὗ ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν τοιαύτη οὖσα, ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλεται ὁ πράττων καὶ ὁ πάσχων. Id est, *cujus principium extra est atq; ejusmodi, nihil ut adjumenti adferatis, qui agit, aut patitur. lib. 3. Eth cap. 1.*

6. Qui vi cogitur, patitur. Quod idem dicitur *agere* in t aditâ violenti definit one. ideò spectat, ut innuatur, eum qu. cogitur,

eo adigi,ut instrumenti vicem sabeat ad illud patrandum,ad quod κατ' οἰκείαν ὁρμὴν,id est, *proprio motu* nihil confert. Etenim corpus cogi potest,voluntas ut consentiat in id,ad quod corpus cogitur,nulla vi adduci potest.Nam si voluntas consentit , hactenus non cogitur. Unde sequitur,omnem necessitatem humanarum actionum,quæ à vi est,contrariam esse voluntati.

7. Invitum per ignorantiam dicitur,cùm ignorantia est causa actionis, non aliud quippiam,quod ignorantiam induxit , putà affectus aliquis,aut corporis , ut ebrietas; aut animi,ut ira,cupiditas. Qui enim aliquid irati, aut ebrii committunt, ignorantes quidem illud committunt,sed non per ignorantiam. In illorum enim potestate erat , istâ ignorantiâ non laborare.*lib.*3.*Eth.cap.*1.

8. Cùm autem non omnis ignorantia actionem invitam faciat , paulò distinctiùs de ignorantia agendum est. Ac primò distribuenda est ignorantia in theoreticam & practicam. Ignorantia theoretica dicitur , cùm ignoratur an,quid,aut qualis res sit ; practica, cùm ignoratur utrum bona sit an mala.

9. Ignorantia speculativa sic hæret in intellectu,ut ejus vis ad appetitum actionésve morales non transeat , nisi quatenus conjunctam habet ignorantiam practicam Ex quo sequitur,τὸ ἀκούσιον non ex theoreticâ, sed ex prâ-

practicâ tantùm ignorantiâ pendere.

10. Ignorantia practica alia est ἐν τῇ προαιρέσει, alia περὶ τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς, καὶ περὶ ἃ ἡ πρᾶξις: Hoc est, *circa singularia, in quibus & circa quæ versatur actio.* Τὰ καθ' ἕκαστα *Aristoteli* sunt, quæ Rhetores vocant περιστάσεις, id est, *circumstantias* Circumstantię in singulis actionibus hæ ferè considerandæ sunt: τίς, τί, περὶ τί, ἕνεκα τίνος, πῶς; quibus adde, τὸν, καὶ ὅτι. Quæ omnes hoc versiculo comprehenduntur, *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando:* Id est, persona agens & patiens sive objectum, locus, instrumentum finis, modus, & tempus. Inter quas præcipuæ sunt, objectum, & finis, *lib. 3 Eth. cap.*

11 Ab hisce circumstantiis pendet moralium actionum discrimen, hoc est, bonitas ac malitia moralis, atque utriusque gradus: ac proinde & gradus præmiorum, ac pœnarum, neque nostris actionibus debentur: ut etiam I.C. docent, *ff. de pœnis, lib. 16. §. 1.*

12. Ignorantia, ἐν προαιρέσει vel est τοῦ καθόλου, vel τοῦ συμφέροντος. Ignorantia τοῦ καθόλου dicitur quæ committitur in rebus absolutè judicandis; veluti cùm quis bonum absolutè putat esse malum, vel contrà. Ignorantia τοῦ συμφέροντος ea est, quæ committitur in rerum comparatione: veluti, cùm quis quod bonum esse novit, rei malæ, aut minùs bonæ postponit: aut quod novit esse malum, rei bonæ, aut minùs malæ præfert. 13 Cum

13. Cum ignorantia universali interdum theoretica ignorantia conjuncta est, interdum non est conjuncta: conjuncta est in iis, qui doctrinam de moribus, legesque vivendi, non tantùm ut pravas contemnunt, sed & falsas & iniquas esse judicant. Conjuncta non est in iis, qui doctrinam morum, legésque, quarum veritatem æquitatémque agnoscunt, notitiâ scilicèt theoreticâ, affectuum caligine excœcati, contemnunt, & tanquam si pravæ sint, rejiciunt, ob ignorantiam practicam.

14. I. Ctis ignorantia dividitur in ignorantiam juris, & in ignorantiam facti. *ff. de ig. Iu. & facti. l.* 1. Jus aliud naturale est, aliud legale: *lib.* 5. *Eth. c.* 7. Jus naturale, est Jus universale. Jus legale, est jus particulare. I. Cti *civile* vocant. Ignorantia juris universalis pertinet ad ignorantiam τῶν καθόλου; ignorantia juris particularis, ut & ignorantia facti, ad ignorantiam circumstantiarum. Ignorantia τῶν συμφέροντος à I. Ctis non consideratur.

15. Ignorantia ἐν προαιρέσει, non est causa τῶν ἀκουσίου, ἀλλὰ τῆς μοχθηρίας, id est, *inviti, sed vitii.* Nam & ipsa peccatum est, & per eam homines κακοὶ γίνονται, id est, *improbi fiunt. lib.* 2. *Eth. cap.* 1. Ii enim, qui planè improbi sunt, ut intemperantes, laborant ignorantiâ τῶν καθόλου: qui ex parte tantùm mali sunt, ut incontinentes, peccant ignorantiâ τῶν συμφέ-

ρον-

ρον]ος. Peccata illa horrenda, quæ committuntur in Spiritum S. oriuntur ex ignorantia illa universali, quæ cum theoreticâ ignorantiâ non est conjuncta; quod genus ignorantiæ haud dubiè deterrimum est. Quid enim deterius cogitari potest, quàm doctrinæ aut legis æquitatem agnoscere, & judicare tamen quovis potiùs modo quàm secundum eam videndum esse. Hujus peccati Christus reos agit *Pharisæos Mat.* 12. qui divinam Evangelicæ doctrinæ veritatem mente theoreticâ agnoverant: eandem tamen judicabant oppugnandam esse, nullâ aliâ causâ, quàm ipsius doctrinæ odio moti; quæ est ignorantia practica.

16. Ignorantia circumstantiarum vel affectata est, vel ex negligentiâ profecta, vel deniq; talis quæ caderet etiam in virum prudentem ac circumspectum. Atque hæc postrema, est ea ignorantia, quæ facit actionem invitam, si sit ὀπίλυπος, i. e. *cum dolore ac pœnitentiâ conjuncta: lib.* 3. *Eth. cap.* 1. Actio quæ ex affectatâ, aut supinâ ignorantiâ proficiscitur, voluntaria censeri debet: quia in agentis potestate erat, non agere: Qui aliquid agit ex ignorantia non affectatâ quidem, aut supinâ, sed ἀλύπῳ tamen; is non ἄκων, sed οὐχ ἑκὼν agere dicendus est id est, *non* quidem *invitus, sed* tamen *neque volens: lib.* 3. *Eth. cap.* 1

17. Etsi tamen, qui circumstantias ignorat, intendat actionem secundùm substantiam, agit

agit tamen invitus, si factum sequatur pœnitentia: quia eam non intendit secundùm qualitatem ac differentiam moralem, quæ pendet à circumstantiis illis, quas ignorat.

18. Ex declaratione τοῦ ἀκουσίου, facile liquet ἑκούσιον esse, ὃ ἢ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότα τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. id est, *cujus principium est in eo, qui agit cum singulariū circumstantiarum, in quibus actio consistit, cognitione: lib. 3. Eth. cap. 1.*

19. Cùm quis agit ἑκὼν ἀέκοντι γε θυμῷ id est, *volens nolente animo*; veluti cùm majoris mali metu, aut spe majoris boni ad agendum adducitur, actiones mediæ naturæ sunt, ac mixtæ vocantur. Nam partim actiones spontaneas, partim invitas similitudine referunt. Simpliciter enim & in se consideratæ, invitæ sunt, quia pendent à causa externa, quæ voluntati agentis contraria est: erùm collatæ cum fine, aliisque circumstantiis, voluntariæ potiùs sunt, quàm invitæ; quia agens aliquid ad eas confert, etiam κατ' οἰκείαν ὁρμὴν, id est *proprio impetu.*

20. Verum enimverò, quia actiones morales secundùm circumstantias potiùs, quàm secundùm substantiam æstimandæ sunt, actiones mixtæ pro spontaneis potiùs, quàm pro invitis habendæ sunt in Philosophia morali. *lib. 3. Eth. cap. 1.*

21. Fit autem, ut hujusmodi actiones interdum

terdum laudem mereantur; veluti cùm quis ἀντὶ μεγάλων καλῶν, αἰσχρόν τι, ἢ λυπηρὸν ὑπομένει: Id est, *magnarum, atque honestarum rerum causâ, indecorum aliquid ac molestum subit*: interdum vituperium; veluti cùm quis ea facit quæ sibi indecora sunt vel maximè, absq; ulla honestæ, aut non magnæ rei quasi mercede. *lib. 3. Eth. cap. 1.*

22 Interdum quædam necessitas ingruit cui ferendæ impar est humana natura: à qua si quis se impelli patitur ad ea agenda, quæ indecora sunt, modò sc. lerata non sint, non tam reprehensione, quàm veniâ dignus est, & commiseratione. *lib. 3. Eth. cap. 1.*

23 Quæ cum scelere, aut improbitate conjuncta sunt, ne extremâ quidem vi, aut necessitate coactis facienda sunt: quin moriendum potius est, quàm tale quid in se admittendum, quod cum virtute, aut officio viri boni pugnet. *lib. 3. Eth. cap. 1.*

24 Actiones invitæ moraliter indifferentes sunt, hoc est, nec bonæ, nec malæ. Omnis enim actionum bonitas ac malitia moralis ab animo æstimanda est, non ab opere, aut eventu. Ex quo sequitur, non invitas actiones, sed spontaneas ad Philosophiam moralem pertinere,

CAP. VI.

De Spontaneorum actionum principiis.

ACtiones ſpontaneæ (πράξεις *Ariſtoteles* appellat) ſunt actiones imperatæ, hoc eſt, actiones ejuſmodi, quæ ab aliis actionibus, quas Philoſophi elicitas appellant, ut à cauſis ſuis, ac principiis proficiſcuntur.

2 Actiones elicitæ, è quibus actiones ſpontaneæ proficiſcuntur, partim pertinent ad eam animæ partem, quæ per ſe ratione prædita eſt, partim ad eam quæ, cùm ſuâ naturâ rationis expers eſt, μετέχει πως τοῦ λόγου. Id eſt, *aliquo tamen modo rationis particeps ſit.* Atque hæ ſunt πάθη, id eſt, *affectus*, de quibus cap. ſequent.

3 Actiones elicitæ, quæ ad rationalem animæ partem ſpectant; vel ſunt intellectûs vel voluntatis. Actiones voluntatis ſequuntur judicium intellectûs practici: nihil enim voluntas appetere, aut averſari poteſt, quod intellectus non indicavit, imò non judicavit appetendum, aut averſandum eſſe: & quicquid intellectus judicat appetendum, aut averſandum eſſe, id etiam voluntas appetit aut averſatur. Voluntas enim eſt potentia cæca: ideóque

ideóque movetur quocunque ab intellectûs practici judicio ducitur.

4. Cùm autem voluntas moveatur ab objecto, prout ab intellectu apprehenditur; eiq; ut bonum aut ut malum proponitur; sequitur voluntatem non appetere malum sub ratione mali, nec aversari bonum sub ratione boni. Bonum enim cum naturâ voluntatis congruit, malum pugnat. Et cùm intellectus in boni & mali discretione errare possit, sequitur voluntatem interdum appetere quod reverâ bonum est; interdum, quod reverà non est, sed apparet esse bonum: & interdum aversari, quod revera malum est; interdum quod malum esse videtur. *lib.* 3. *Eth. cap.* 4.

5 Actio voluntatis vel est βούλησις vel προαίρησις; illa finis, hæc mediorum est. *lib.* 3. *Eth. cap.* 2.

6 Cùm autem nihil melius sit fine, imò nihil melius possit voluntati proponi, quàm id quod sub ratione finis proponitur; sequitur voluntatem in finem ferri, non quidem ἀκρίτως, μὴ ἀ προβουλεύτως, id est, *non sine prævio judicio, sed sine prævia deliberatione: lib.* 3. *Eth. cap.* 3.

7 Judicium intellectûs practici vel absolutum est, vel comparatum; illud considerat res in se, atq; in naturâ suâ, & decernit quid bonum sit, aut malum; hoc res cum aliis rebus ac circumstantiis comparat, & decernit quid melius sit ac deterius.

8. Absolutum judicium intellectûs sequitur velleitas, comparatum volitio. Sic enim Scholastici Θέλησιν barbarè quidem, sed tamen appositè distinguunt. Velleitas est actio, quâ voluntas fertur in finem sine proposito consequendi; quomodo appetere solemus ea, quæ aut fieri aut saltem per nos fieri non possunt: *lib. 3. Eth. cap. 2.* aliáque, quæ voluntas in se quidem ut bona probat, non affectat tamen, quia cum majori malo, aut majoris boni dispendio videntur esse conjuncta. Volitio est actio, quâ voluntas fertur in finem cum proposito consequendi. Discrimen harum actionum his formulis exprimitur: *vellem, volo:* quarum illa velleitatis, hæc volitionis est.

9. Cùm intellectus practicus aliquid judicat absolutè bonum esse, quod cum aliis collatum judicat esse malum; aut cùm aliquid judicat absolutè malum esse, quod judicat esse bonum cum aliis collatum; voluntas etiā velleitate quâdā appetit, quod volitione aversatur & aversatur velleitate, quod appetit volitione: quod videre est non solùm in incontinente, aliisque quibus contingit illud Medeæ, *Video meliora proboque, deteriora sequor*, sed etiam in omnibus, quorum animus ab objectis disparibus distrahitur: in qua distractione voluntas, quod appetit ut bonum, meliori rei postponit; aut quod odit & aversatur ut malum, deteriori rei præfert. 10. Ita-

10. Itaque quemadmodum judicium comparatum practici intellectûs, perfectius eſt judicio abſoluto, & ejus velut quædam correctio; ita volitio perfectior eſt velleitate. Etenim velleitas eſt actio ſuſpenſa, interdum etiam inhibita à judicio comparato, & volitione in aliud objectum tendente. Volitio contrà ſoluta eſt, plena, atque imperio ſimilis

11. Ex quo ſequitur προαίρεσιν, aliáſque actiones, quæ circa media ſunt occupatæ, nomen velleitatis, ſed ex volitione proficiſci.

12. Προαίρεσις vix poteſt ſatis ſignificanter Latinâ voce explicari. Interpretes eam variè vertunt *electionem, delectum, inſtitutum, propoſitum, judicium, deſtinationem* ex quibus omnibus vox *conſilium* optimè videtur vim illius exprimere.

13. Cum προαιρέσει conjuncta eſt actio intellectûs, med a προαιρετὸ non ſolùm cognoſcentis, & voluntati proponentis, ne feratur in incognitum; ſed ea etiam inter ſe comparantis, & alia præ aliis eligentis: quod vel ex ipſo nomine apparet. Quod enim aliud eſt προαιρετὸν, quàm τὸ πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν: hoc eſt, *id quod præ alio eligitur*? Atqui eligi præ alio nihil poteſt ἀνὰ λόγυ καὶ διανοίας, id eſt, *ſine ratiocinatione lib. 3. Eth. cap. 3.*

14. Hæc διάνοια ſive ratiocinatio circa

media, vocatur βούλησις *consultatio*: ea autem definiri potest, hoc modo: Consultatio est inquisitio & collatio mediorum inter se, ut ex cæteris commodiora elegantur, & ad finem decernantur.

15 Finitam consultationem sequitur προαίρεσις: quæ ex *Aristotele* definiri potest ὄρεξις βουλευτικὴ τῶν ἐφ' ἡμῖν, Id est, *earum rerum, quæ in nostra potestate sunt, appetitio, ex antecedente consultatione proficiscens. lib. 3. Eth. cap. 2. l. 1. Mag. Mor. cap. 18.*

16 Quamvis idem sit consultationis & προαιρέσεως objectum, nempe media quæ in nostra & nostrorum potestate sunt: (de fine enim, de rebus æternis, ac necessariis, de fortuitis, aliisq; quæ non sunt in nostra potestate nemo consultat, aut consilium capit, nisi sit fatuus. *lib. 3. Eth. cap. 3.*) aliter tamen media sunt consultationis, aliter προαιρέσεως objectum. Nam προωρισμένον ἤδη τὸ προαιρετὸν, καὶ ἐκ τῆς βουλῆς κεκριμένον. Id est, *objectum προαιρέσεως definitum jam est, & in consultatione prælatum. lib. 3. Eth. cap. 3.*

17 Hic ergo est ordo actionum τῶν κατὰ λόγον: id est, *earum, quæ à ratione sunt.* Intellectus primùm proponit finem, eundem voluntas appetit & intendit, deinde cogitat intellectus de mediis, & cùm plura sese offerunt, institutâ comparatione, commodiora cæteris proponit, & voluntati proponit: ea voluntas

cùm

cùm amplexa est, corporis membra commovet, ad consequendum finem propositum. In hujusmodi membrorum commotione consistunt πρᾶξεις, sive actiones morales.

18 Actiones elicitæ, quas diximus esse principia actionum spontanearum, sunt ἐφ' ἡμῖν, id est, *in nostra potestate*. Ex quo sequitur, & πρᾶξεις ipsas, & habitum, qui ex iis nascuntur, in nostra potestate esse, inque nostro arbitrio positum, ut probisimus æque atque ut improbi. Quorum enim principia in nostra potestate sunt, ea ipsa sunt in nostra potestate: *lib.* 3. *Eth. c.* 5. Actiones elicitas esse principia τῶν πρᾶξεων jam dictum est: & πρᾶξεις esse principia, & causas habituum, virtutésque & vitia consuetudine parari, demonstrabitur *c.* 12.

19 Hanc agendi facultatem *Graci* vocant αὐτεξουσίαν, *Latini* liberum arbitrium. Quid enim aliud est liberum, sive αὐτεξούσιον esse, ac dominum suarum actionum, quà nagere, & non agere quicquid, quantum & quando lubet, præeunte consilio?

20 Hominem esse αὐτεξούσιον, ἁπλῶς necessarium est. Duorum enim alterutrum oportuit, ἢ ἄλογον γένεσθαι ἢ ἄνθρωπον, ἢ λογικὸν ὄντα αὐτεξούσιον εἶ). id est, *aut rationis hominem expertum esse, aut si ratione sit præditus liberum habere arbitrium.* Qui enim ratione præditus est, ὁ μόνον καταυοεῖ ὡς ἔχει τὰ ὄντα,

ἀλλὰ καὶ βουλεύεται περὶ τῶν προακτέων, ἵνα τὸ προκριθὲν ἐν τῇ βουλῇ ἕλητα, καὶ ἑλόμενος πράξῃ, id est, *non solùm contemplatur ea quæ sunt, sed etiam deliberat de iis, quæ fieri debent, ut quod in consilio prælatum est cæteris, eligat, & agat quod eligit. Nemes. de natrhom cap*, 41. Etenim deliberationes, consilia; addo etiam hortationes, laudes, reprehensiones, leges, præmia, pœnæ, & id genus omnia frustrà sunt, si πράξεις, si virtutes, & vitia, & quicquid ex actionibus nascitur, non sit in nostra potestate. *l.* 3. *Eth. cap.* 8.

21. Potestas nostri arbitrii sese non extendit ad actionum eventus, sed ad actiones tantùm, & ad ea quæ ex actionibus necessariò sequuntur. Nam hoc quidem in nostrâ potestate est, ut bonæ famæ, valetudini, divitiis studeamus: ut autem benè audiamus, benè valeamus, diteſcamus, non est arbitrii, aut potestatis nostræ. Hæc enim pendent ab externis causis, quæ non sunt in nostra potestate. *Nemes. cit. loc.*

22. Objici solet adversus liberum arbitrium, actiones uniuscujusque & studia esse talia, qualis est vitæ finis; bona, si bonus; mala, si malus. Finem non eligi, sed appeti ἀπροβουλεύτως καὶ ἀπροαιρέτως, id est, *sine prævia de liberatione ac consilio*; ac proinde non posse non appeti, quod finis rationem habere videatur. Non esse in nostra potestate, ut quod nobis

bis proponitur, finis rationem habere aut non habere videatur, cùm non simus κύριοι τῆς φαντασίας, Id est, *cùm non sit in nostra potestate, quæ species nobis offeratur.* Verùm hæc nullius momenti sunt. Nam τοῖοι πρὸς εἶναι, τὸ τέλος τοιόνδε πρόκειται: id est, *prout affecti sumus, finem proponimus.* Quocirca cùm unusquisque sibi sit causa τῆς ἕξεως, à quascilicet error circa finem proficiscitur, ἢ γὰρ φαντασίας πῶς ἴσχει αἰτία, hoc est *in causa erit, cur sibi illud potiùs quàm aliud finis rationem habere videatur: lib. 3. Eth. cap. 6.*

23. Solet etiam objici, improbos, hoc est, eos qui longiori consuetudine habitum peccandi sibi pepererunt, non posse aliter, quàm malè agere. Consuetudo enim est veluti altera natura, quam frangas citiùs, quàm corrigas, ut ait *Quintilianus*, ubi in pravum induruit. Quales autem sunt habitus, tales actiones inde prodire necesse est. Ut ergò non est in potestate improborum, ut improbi non sint, aut ut esse desinant, si fortè vellent; ita etiam non videtur in eorum potestate esse, ut aliter agant, quam malè; quo videtur effici, ut improbi in peccando non sint αὐτεξούσιοι. Verùm & hæc objectio frivola est: nam id omne in nostra potestate est: cujus principia in nostra potestate sunt, ut antè dictum est: principia habituum sunt actiones qualescunque, & habitus vicissim sunt principia actionum sibi similium, boni bonarum, mali malarum,

ut ostendetur, cap. 12. Quocircâ, qui suâ sponte ea agit, quibus improbus evasit, sponte suâ profectò improbus est, & suâ sponte peccat, etsi non possit non peccare: præsertim cùm ignorate, non potuerit, ἐν τῷ ἐνεργεῖν περὶ ἕκαστα, τὰς ἕξεις γίγνεσθαι id est *ex actionibus, quæ in singularibus versantur, habitus nasci, lib. 3. Eth. cap. 6.*

24. Quomodo liberum arbitrium consistat cum divinâ providentiâ, semper visum fuit explicatu difficillimum, Stoici, ut providentiam assererent, omnia fato subjecerunt, & ab ineluctabili causarum serie pendere contenderunt. Peripatetici, ut liberum arbitrium tuerentur, singulares actiones, & quicquid in nostra potestate positum est, divinæ providentiæ subesse negaverunt. Christiani providentiam cum libero arbitrio sociant, humanásque actiones, tam singulas quàm universas, decreto, scientiæ, & gubernationi divinæ subjiciunt: & in iis tamen liberum arbitrium rectè collocant. Deus enim, ut est sapientissimus, secundas causas gubernat, singulas secundùm naturæ suæ modum, necessarias, ut necessariò; liberas, ut liberè operentur, & quicquid ex actionibus sequi debet, liberè producant.

CAP.

CAP. VII.

De Affectibus in genere.

§. 1.

Sic de principiis ſpontanearum actionum, quæ ſpectant ad rationalem animæ partem; ſequuntur ea, quæ pertinent ad partem animæ ratione deſtitutam, nempe πάθη, ſive affectus: qui etiam inter cauſas & principia noſtrarum actionum cenſendi ſunt. Horum naturam vel imprimis debet Ethica interpretari. In iis enim edomandis & dirigendis præcipuè verſatur, ſicuti medicina in curandis morbis. Affectus enim morbi atque ægritudines animi ſunt, ſi rationis fræno non coërceantur.

2. Commodùm autem auſpicabimur affectum doctrinam à definitione, deinde ſingulas definitionis partes ſeorſim excutiemus, & probabimus, ſicubi Philoſophi inter ſe non conſentiunt. Definiri poteſt affectus hoc modo: Affectus eſt motio appetitûs ſenſitivi, cum non naturali mutatione corporis, ab objecto bono, vel malo, à phantaſia propoſito, & æſtimato, ad illud conſequendum, hoc vitandum.

3. In

3. In hac definitione genus est motio. *Affectus* enim non sunt naturales animæ facultates; non habitus consuetudine parati; sed naturalis facultatis functiones, ac motiones, ex quibus habitus :morales, virtutes scilicet, ac vitia, nascuntur. *Aristoteles* autem non solùm δυνάμεις, ἕξεις, ἀλλὰ πάθη, sic discernit passim, ut confundi non possint, *lib.* 2. *Eth. cap.* 5. *lib.* 1. *Mag. Mor. c.* 7. *& lib.* 2. *Eud. cap.* 2. sed etiam affectus appellat μεταβολὰς, *lib.* 2. *Rhet. cap.* 1. *&* ἐνεργείας, *lib.* 3. *de Anima cap.* 7.

4. Differentia generi in definitione addita, complectitur subjectum, objectum, & finem. Subjectum, seu sedes affectuum est *facultas appetens.* Cùm enim ad quemlibet affectuum tres distinctæ motiones concurrant; (nam & facultas cognoscens, intellectus scilicet, aut sensus movetur ab objecto; & facultas appetens à judicio facultatis cognoscentis; & cor reliquumq; corpus non naturali mutatione afficitur ab appetitu, spiritibus & sanguine, nunc ad extremas corporis partes sese effundentibus, nunc ad interiora recurrentibus in secunda motione affectus propriè & formaliter, ut loquuntur, consistunt: prima motio est affectuum fons, & origo: tertia, effectum quoddam ac σύμπτωμα consequēs.

5. Errant igitur Stoici, qui affectus pravas opiniones esse & judicia, ac proinde ad cognoscentem, non ad appetentem facultatem pertinere

pertinere volunt: quemadmodum ex *Cicerone* colligitur, qui affectus omnes ex Stoicorum opinione definit *opiniones*; ægritudinem, opinionem mali præsentis; metum, mali impendentis; lætitiam, boni præsentis; libidinem, boni venturi *lib.* 4. *Tusc.* Quanquam, si Stoici affectus opiniones appellant ac judicia, quia ex prævia opinione ac judicio facultatis cognoscentis oriuntur, ut quidam eorum sententiam interpretantur, rectè sentiunt hâc in parte de affectibus, sed impropriè loquuntur. Quanquam & ipse *Aristotles* sic loquitur *lib.* 4. *Eth. cap.* 6. cùm metum definit προσδοκίαν κακοῦ, id est, *expectationem mali.* Metus enim non est ipsa expectatio mali, sed est affectus, qui oritur ex mali expectatione.

6. Quicquid sit de sententia Stoicorum, quòd affectus sint motiones appetitûs, sic potest demostrari: In appetitu est ὄρεξις ἢ φυγή, id est, *persecutio & fuga*, quod est, κατάφασις ἢ ἀπόφασις id est, *affirmatio & negatio*, in facultate cognoscente *lib.* 6. *Ethic. cap.* 2. Atqui affectus non consistunt in affirmatione aut negatione, sed in persecutione aut fugâ: tendunt enim in objectum sub ratione boni aut mali, non sub ratione veri aut falsi. Deinde facultas cognoscens in cerebro residet, appetitus in corde: quocirca cùm cor potiùs afficiatur quàm cerebrum, si affectus vehementiùs concitantur, sequitur in appetente

petente potiùs quàm in cognoscente facultate affectus ponendos esse.

7 Motiones appetitûs sunt ex earum genere, quas Philosophi immanentes vocant: quæ in ea facultate recipiuntur ut in subjecto, à qua manant, ut à causa efficiente. Ex quo sequitur, affectus non esse meras passiones, sed ex passionibus, & actionibus simul mistos. Passiones enim sunt non solùm quatenus appetitus movetur ab objecto cognito, sed etiam quatenus idem appetitus suum ipsius actum in se recipit, (quod pati Philosophi appellant) totúmque corpus spirituum adminiculo, non naturali mutatione afficitur: quatenus autem appetitus ab objecto cognito excitatus, affectus in seipso ciet, ac producit, eatenus affectus actiones dicendi sunt. Hæc enim productio quædam actio est haud dubiè. Veruntamen quia perpessiones in affectibus manifestiores sunt, quàm actiones; solent affectus πάθη, hoc est, passiones potiùs appellari quàm actiones. Quanquam non est eadem omnium affectuum ratio. Nam qui rationem vel antevertunt, vel evertunt, præcipuo quodam jure passiones appellari merentur: ab iis enim ducitur, & rapitur quodammodo nostr animus. Qui rationem sequuntur, eíq; se ducendos permittunt, magis videntur ad actionum naturam accedere.

8 Appetitus hominis dividitur in λογιστικὸν

&

& ἀλόγιστον. *lib.* 1. *Rhet. c.* 10. id est, *in rationalem, & rationis expertem*: quorum ille residet ἐν τῷ λογικῷ, hic ἐν τῷ ἀλόγῳ. *lib.* 3. *de anima c* 9. Ille voluntas, hic appetitus absolutè nuncupatur: *lib.* 3. *de Anim. cap.* 10. vel etiam appetitus sensitivus: quia ut voluntas rationem, ita hic sensum sequitur. In utro duorum effectus collocandi sint, non difficile est explicare. De sententiâ *Aristotelis* non potest esse dubium. Is enim & locis c tatis, & multis aliis, appetitum ἄλογον distribuit in ἐπιθυμίαν καὶ θυμὸν *lib.* 2. *Top. cap.* 7. *& lib.* 4. *Top. cap.* 5 & ad has duas classes omnes omnino affectus reducit, ut sequentib. cap. patebit.

9 Hæc sententia optimâ ratione nititur. Omnes enim animi affectus conjuncti sunt cum corpore. Ἅμα γὰρ τέτοις πάσχει τι τὸ σῶμα Id est, *semper enim cum his corpus aliquid patitur. lib.* 1. *de Anim. cap.* 1. Ipsa nempe experientia docet, quoties animus affectu turbatus est, spiritus variè agitari, moveri sanguinem, concuti cor, ac sæpe totum corpus. At voluntas immaterialis est & inorganica. Itaq; motâ voluntate corpus non necessariò movetur, nisi cum ea simul moveatur appetitus sensitivus. Non potest ergo voluntas esse sedes affectuum propriè dictorum.

10 Quòd homo pluribus affectibus obnoxius est, quàm bruta, non inde est, quòd in homine sint affectus duplicis generis; alii

in

in voluntate, alii in appetitu sensitivo: Sed quòd alii à solo sensûs judicio, alii à ratione, mediante sensu, excitentur. Concipit enim ratio multas voluptates, & dolores, ad quos appetendos aut aversandos sensitivum appetitum ministerio phantasiæ excitat. Hujusmodi affectus homini peculiares sunt: reliqui, qui à solo sensu oriuntur, cadunt etiam in bruta, ut §. 14. & sequent. plenius ostendemus.

11 Non est tamen diffitendum, quin in voluntate sit aliquid affectibus ἀνάλογον. Nam sicuti appetitus sensitivus movetur à judicio sensûs, ita etiam movetur voluntas à judicio rationis. Hujusmodi motiones, si quis velit affectus nominare, non erit multùm repugnandum: modo caveatur, ne motiones appetitûs sensitivi, & voluntatis confundantur.

12 Appetitus omnis ex se cœcus est: ideóque nihil persequitur ut bonum, nihil fugit ut malum, si facultate cognoscente non excitetur, ac dirigatur. Non sufficit autem ad concitandos affectus, ut objectum appetitui à cognoscente facultate proponatur, & indicetur; sed requiritur præterea, ut illud censeatur, & judicetur, sitne bonum, an malum: non quidem absolutè, & in se, sed comparatè, ac nobis. Quemadmodum enim, si quis res horribiles, putà leones videat depictos, aut

aut etiam res jucundas, non commovetur tamen, ita etiam animus non afficitur solâ objecti boni aut mali perceptione, sed tum demũ si judicium, atq; æstimatio accedat. *lib. 3. de Anim. cap. 3.*

13 Judicium hoc atque æstimatio, à qua affectus proximè excitantur, est actio sensûs interni: quem alii phantasiam, alii æstimativã, aut cogitativam vocant. Objecta æstimanda proponuntur phantasiæ vel ab externis sensibus vel etiam ab intellectu. Multi enim affectus sunt in homine, qui ab ejusmodi objectis excitantur, quæ non incurrunt in sensus externos, ut cupiditas honoris, zelotypia, & id genus alii.

14 Cùm objecta æstimantur à phantasia vel concurrit ad illam æstimationem ratio, vel non concurrit: concurrit ratio non solùm ad æstimãdas eas res, quæ non incurrunt in sensus externos, sed etiam ad multas alias quæ ab externis sensibus apprehenduntur, & phantasiæ offeruntur.

15. In hoc concursu, vel consentit ratio cũ phantasia, vel ab ea dissentit. Si ratio cũ phantasia consentit, animus sine ullâ hæsitatione ãplectitur objectũ bonum aut repudiat malum, firmiterq; in proposito persistit. Si ratio & phantasia dissentiunt, oritur inde incertitudo animi & fluctuatio quædam, quæ non priùs componitur, quam vel ratio affectum phantasiæ judicio excitatum superavit, vel

se ab affectu occœcatam judicio phantasiæ subjecit.

16, Itaque cùm *Aristoteles lib. 1. Rhet. cap. 1.* affectus esse dicit, per quos homines immutati διαφέρουσι τὰς κρίσεις, id est *non eodem modo de iisdem rebus judicant*, id non potest de omnibus affectibus intelligi, sed de iis tantùm, quæ concitantur ab ejusmodi rebus, de quibus aliter sensus judicare solèt. Hujusmodi enim affectus reverà sunt in animo, quod color in oculo. Itaque sicuti ictericis omnia videntur esse flava, quia oculus flavo colore suffusus est: ita omnia bona videntur iis, qui animum habent affectu concitatum, quæ isti affectui consentanea sunt; aut mala, quæ eidem sunt dissentanea. Cùm ratio non concurrit ad æstimationem objectorum, oriuntur inde affectus ἄλογοι, quales sunt in pueris & brutis (nam & his affectus tribuendi sunt, quicquid contrà contendant Stoici) quales etiam sunt affectus, qui rationis judicium antevertunt.

17. Affectus sese exerunt in infantibus, & consuetudine invalescunt, ante rationis usum. Atque hæc causa est, cur homines, si sibi permittantur, potius κατὰ πάθος, quàm κατὰ λογον vitam instituant. Non tamen hinc efficitur, ut affectus in nostrâ non sint potestate. Magna quidem vis est affectuum, sed tanta tamen non est, ut actiones nostras

ras efficiant invitas. Quî enim invita sit ea actio, quæ cum voluptate conjuncta est? Atqui voluptatem adfert quicquid geritur ex cupiditate. *l. 3. Eth. c. 1.* vel etiam ex ira. *lib. 2. Rhet. c. 2.* Deinde, quæ cupiditate aut irâ adducti facimus, non minùs vitare possumus. quàm quæ peccâus κατὰ λογισμὸν cùm τὰ ἄλογα πάθη nō sint minùs ἀνθρωπικά, i. e. *in hominis potestate*, quàm ipse λογισμὸς. *lib. 2. Et. c. 1.*

18. Quod attinet ad affectus illos, qui rationem antevertunt, actionésque, quæ ex iis fluunt; etsi minùs sint spontaneæ, quàm cæteræ: hactenus tamen in nostra potestate sunt, ut peccati rationem habeant, si sint contra rectæ rationis dictamen. Nam id saltem est in nostra potestate, ita comparatum habere animum à consuetudine, ut à nullo objecto moveri possit ad aliquid agendum, nisi consultâ priùs ratione.

19. Affectus ergò non pendent à corporis temperamento, ut videtur *Galenus* credidisse. Non enim est in nostra potestate, quod in solidum pendet à corporis temperamento. Deinde quàm multi fuerunt non mali temperamenti, pessimis affectibus obnoxii? quàm multi temperamenti pravitatem sic correxerunt bonâ consuetudine, ut non fuerint, nisi bonis ac moderatis ducti affectibus? Denique si temperamentum foret causa nostrorum affectuũ non foret locus virtutibus, aut

vitiis;

vitiis: rectéque vivendi præcepta, non à philosophis, sed à medicis petenda forent. Interim fatendum est, alios ad hos, alios ad illos affectus à natura procliviores esse: quæ proclivitas haud dubie temperamento adscribenda est; ita tamen, ut curâ atque institutione facilè possit immutari.

20. Objectum affectuum est bonum & malum in genere. Nam cùm affectus non à sensu solùm, sed etiam à ratione oriantur, (ut suprà §. 13. & sequentib. dictum est) non solùm bonum jucundum, & malum triste; sed etiam bonum honestum & utile, & malum turpe, ac damnosum, affectus concitare possunt in homine jam rationis compote. Affectus puerorum, & brutorum; ut & illi qui rationem antevertunt, versantur solùm circa bonum jucundum, & malum triste.

21. Finis affectuum proximus est consequi bonum, & vitare malum propositum: remotus, salus, & incolumitas animalis; quæ duabus rebus conservatur, boni necessarii consecutione, & mali propulsatione.

22. Ex quo sequitur affectus non esse toto genere malos, (ut Stoici videntur existimâsse) sed tantúm quoad excessum, & defectum. Nam quî malum sit quod à naturali facultate proficiscitur? quodque tendit in bonum, atq; in ipsam adeò salutẽ animalis? Aut natura frustrà homini concessit appetitum sensitivum,

sensitivum, vel etiam perperàm; aut motiones appetitûs sensitivi, id est, affectus, non sunt omninò in malis numerandi. Prætereà potentiùs haud dubiè ferimur in optatos fines affectuum beneficio, consequimur eos perfectiùs, & fruimur jucundiùs, si affectibus, non abutamur quidem, sed utamur, ut famulis rectæ rationis. Denique amor & odium ita per universam vitam, omnésque nostras actiones diffusa sunt, ut sine his vita nostra ne vitalis quidem sit, nedum ut felix esse possit.

23. Hæc rectè Peripatetici. Cùm Stoici universum genus affectuũ damnant, verbis longiùs, quam opinione, & sententiâ à Peripateticis recedunt. In quolibet enim affectu, duo distinguunt; φαντασίαν, quâ mens hominis primâ statim specie rei objectæ movetur; & vi quâdam pellitur; & συγκατάθεσιν, quâ eadem mens cognitam phantasiam assensione suâ approbat, καὶ ὁρμὴν ἀξιοῖ, Illam aiunt involuntariam, ideóq; neq; bonam, neque malam esse, & in sapientẽ etiam cadere; hanc dicunt esse voluntariam, malam, & non nisi in stulto reperiri. *A. Gell. lib. 19. cap. 1.* Præterea distinguunt Stoici inter πάθος καὶ εὐπάθειαν. Πάθος, Cicero *perturbationem* interpretatur; εὐπάθειαν, *constantiam*. Πάθος ex Stoïcorum sententiâ est aversa à rectâ ratione, & vehemens contra naturâ animi cõ notio; εὐπάθεια, commotio animi placida, constans, & secundum

dùm rationem. Perturbationum faciunt quatuor partes, duas ex opinatis bonis, libidinem & lætitiam; & totidem ex opinatis malis ortas, metum & ægritudinem. Hiſce quatuor perturbationibus, tres opponunt ſpecies conſtantiarum; libidini, voluntatem, lætitiæ, gaudium; metui, cautionem: ægritudini nullam affectionem laudabilem opponunt: nolunt enim ſapientis animum præſentis mali opinione affici. *Cicer. lib. 4. Tuſc. quæſt.*

24 Non damnant ergò Stoïci totos affectus, ſed in iis ſolas συγκαταθέσεις. atque has non omnes, ſed eas ſolùm, quæ rectæ rationi adverſantur, in quo reipsâ non diſſident à Peripateticis. Videtur ergò omne diſcrimen in eo poſitum, quòd Stoïci ſapientem ob præſens malum nullo modo moveri velint. Peripatetici concedant moderatè moveri poſſe. Qua in re Stoïcorum opinio, non modo regulis Chriſtianæ religionis, ſed ipſi adeò humanitati adverſa eſt. Pleraque officia è vitæ ſocietate ſublata ſint, ſi hæc Stoïcorum indolentia vitam ſemel occupaverit. Sed parùm metuendum videtur ne hâc in parte nimis ſimus Stoïci, ſiquidem hanc opinionem ipſa praxis ſatis refellit. Quotus enim quiſque fuit ex eorum numero, quos Stoïci ſapientes fuiſſe confitentur, qui ita ad omne malum obduruerit, ut non leviſſimè fuerit commotus? De ſubitis illis animi motibus, quomodo ſint

aut

aut non sint in nostra potestate sententiam nostram diximus §. 18.

De Affectibus in specie.

§. 1.

ACTUM est de affectibus in genere sequitur singulorum affectuum in specie consideratio, quatenus ea conducit ad virtutum moralium naturam, & munus faciliùs & accuratiùs intelligendum.

2 *Aristoteles* revocat omnes affectus ad duo genera: alios enim ponit ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ, id est, *in appetitu concupiscente*; alios ἐν τῷ θυμικῷ, id est, *in appetitu irascente*: illi ἐπιθυμία hi θυμὸς generali quâdam appellatione nuncupantur; quasi *cupiditatem sive concupiscentiam, & animositatem aut animi vigorem dicas. lib. 2. de Anim. cap. 3. & lib. 3. cap. 9. lib. 1. Rhet. cap. 10. lib. 2. Prior. cap. ult.* Interdum tamen ἐπιθυμία, ἢ θυμὸς adhibentur, ad significandos duos affectus particulares, à cæteris omnibus affectibus, ad duo illa capita pertinentibus distinctas, desiderium scilicet & iram propriè dictam. *lib. 2. Eth. cap. 5. lib. 1. de An. cap. 1. §. 12. & 14.*

3 Quid

3 Quid inter hæc duo genera affectuum discriminis intercedat *Aristoteles*, quod sciam nusquàm disertè tradit. *Piccolhoneus* statuit affectus facultatis concupiscentis versari circa ea, quæ ad sensus, & ad corpus pertinent, & gustum tactumve voluptate quâdam, aut dolore afficiunt: tum etiam circa instrumenta, quibus illa comparantur, veluti circa divitias: affectus appetitûs irascentis, circa ea quæ ad animum magis spectant; qualis sunt honor, gloria, victoria, beneficia, injuria, & id genus alia. *Grad. 1. cap. 10.*

4 Sed hæc sententia non est ut defendi possit. Nam appetitus concupiscens & irascens, non sunt facultates reipsâ, sed solâ ratione differentes. Una enim eadémque facultas est, quæ ἐπιθυμία & θύμος nuncupatur, idemque est utriusque objectum, sed aliter atque aliter consideratum. Deinde illa boni & mali ad corpus & animum pertinentis distinctio, locum non habet in brutis animantibus: in quibus tamen affectus θυμικὸς æquè ac ἐπιθυμητικὸς reperiri certum est.

5 *Thomas* hæc duo genera affectuum sic distinguit, ut statuat affectus ἐπιθυμητικὸς versari circa bonum vel malum simpliciter & absolutè spectatum; τοῦ θυμικὸς, circa bonum vel malum arduum: hoc est, circa bonum obtentu, & malum, vitatu difficile. *part. 1 2. quæst. 23. art. 1* Quæ sententia aperta est, &

ad

ad singulorum affectuum naturam investigandam satis accommodata.'

6 Jam verò quot sint species affectuum, & quæ species singulis generibus tribuendæ sunt, non est ita facile declaratu. *Aristoteles* quidem varios affectus enumerat ut videre est *lib. 2 Eth. c. 5. & lib. 2. Rhet.* sed certum numerum nusquam designat, nec species enumeratas ad sua genera reducit, nedum ut justi numeri, quod requiri videtur, adferat probationem. Nos igitur *Thomæ* sententiam proponemus, & si quid in illa desiderari videatur id deinde adjiciamus.

7 *Thomas* undecim omnino species affectum enumerat: In appetitu concupiscente ponit amorem, odium, desiderium, fugam, sive aversationem, lætitiam: & tristitiam in ira sappetitu cente, spem desperationem audaciam sive confidentiam, metum, & iram. *Ib. art. 4.*

8 Hunc undenarium affectuum numerum hoc modo colligit. Appetitum ait, vel circa bonum versari, vel circa malum: eúmque à bono trahi, à malo pelli. In hac tractatione tria distinctè considerari posse: primò, inclinationem ad objectum consequendum, aut vitandum: secundò, motum ipsum, qui inclinationem sequitur: tertiò, quietem in objecto jam præsenti. Amorem esse, cùm appetitus inclinatur ad consequendum

bonum; cùm ad bonum movetur, desiderium cùm illud consequitur, in eóque quiescit, gaudium. Contrà odium gigni, cùm animus inclinatur ad objectum malum vitandum, cùm à malo repellitur, fugam; cùm in malum incidit in eóque detinetur, tristitiam. Ideóque amorem & odium esse in animo nostro, quod gravitas & levitas in elementis: desiderium & fugam, quod ascensus & descensus: gaudium, quod quies naturalis; tristitiam, quod quies violenta. *Ibid.*

9 In appetitu irascente non esse affectum qui inclinet animum ad objectum expetendum aut aversandum: non etiam affectum quietis in objecto præsenti. Inclinationē enim præcurrere, & præsupponi in appetitu concupiscente: & quietem, quæ motum appetitûs irascentis sequitur, ad concupiscentiam pertinere. Appetitum enim irascentem non commoveri, nisi quoties difficultas quædam, aut impedimentum concupiscenti appetitui objicitur: idque vel ab objecto bono, vel malo fieri: objectum bonum debere futurum esse bonum enim præsens, quando præsens est: non habere difficultatem, sive impedimenta. Bonum futurum, si existimetur acquiri posse, spem concitare, sin minùs, desperationem. Objectum malum vel futurum esse, atq; imminere: vel adesse: Malum imminens, si consideretur ut superabile, audaciam gignere; si

ut

ut insuperabile, metum. Si malum consideretur ut præsens, iram parere. *Ibid.*

10 Hæc *Thomæ* de numero affectuum sententia, ejusque probatio, ingeniosa quidem est, sed non satis accurata. Nam primò amorem & odium non rectè dicit esse in animo nostro, quod gravitas & levitas est in elementis. Nam gravitas & levitas non sunt motus elementorum, sed principium à quo motus est sive inclinatio ad motum: At omnes affectus motiones sunt, ut dictum est §. 3. cap. præced. ac proinde amor quoque & odium debent esse motiones, non inclinatio ad motum, ut *Thomas* videtur voluisse. Hac quoque de causâ non potest lætitia comparari cum naturali quiete elementorum, nec tristitia cum quiete contra naturam: quia quies cum affectûs naturâ pugnat; est enim motui contraria. Deinde amor & odium non videntur esse species affectuum à desiderio & fugâ distinctæ, sed potiùs desiderio & fugæ subordinatæ, sicuti misericordia, invidia, & multi alii affectus, subordinantur tristitiæ. Quare, si amor & odium enumerentur ut species proximæ affectûs ὁμωνύμως, causa non est, cur misericordia, invidia, & multi alii, de quibus postea, non debuerint ut proximæ species recenseri.

11 Mihi præ cæteris placet sententia *Stoicorum*, qui quatuor tantùm affectus statuunt,

sive genera affectuum. Objectum enim appetitûs, à quo affectus concitari solet, vel ut bonum considerari potest, vel ut malum: atque utrumque vel ut futurum sive absens, vel ut præsens. Circa bonum absens versatur desiderium; circa præsens, lætitia; circa malum absens, sive imminens, fuga; circa præsens, tristitia.

12 Hi quatuor affectus pertinent ad appetitum concupiscentem; sunt que omnium affectuum simplicissimi, primi, & communissimi, ad eósque reliqui omnes revocari possunt, tanquam quædam subordinatæ species. Nascitur autem hæc specierum varietas vel ex objectis simplicium affectuum multiplici consideratione variatis; ut, χάρις, id est, *gratia*, κακοδυμία, id est, *malignitas*, amor, odium ἐπιχαιρεκακία, misericordia, nemesis, invidia, zelus, zelotypia, pudor, pœnitentia, aliæque multæ species affectuum ἐπιθυμητικῶν: vel ex difficultate atque impedimentis ad objectum appetitûs concupiscentis absolutè simplicitérque spectatum, accedentibus; ut affectus θυμικοὶ, spes scilicet, desperatio, audacia, metus, & ira.

13 Desiderium (ut singulorum affectuum descriptionem adferam) est affectus, quo expetimus bonum, quod nobis deest: Fuga, quo nolumus atque aversamur malum quod nobis imminet. Lætitia est affectus, quo concitatur

citatur animus à bono præsenti: tristitia, quo movetur animus á malo præsenti.

14 Ad desiderium revocatur gratia, & amor: ad fugam, malevolentia, aut malignitas & odium. Χάρις δέ ἐστι καθ' ὃν ὁ ἔχων λέγεται χάριν τινὶ παρεῖναι δεομένῳ, μὴ ἀντί τινος, μηδ' ἵνα αὐτῷ τις συνεργήσῃ, ἀλλὰ ἵνα ἐκεῖνος τι. Id est, *Gratia est, per quam, qui habet, dicitur gratificari indigenti, non ut aliquid pro ea sibi reddatur, aut utilitas ex eo obveniat; sed solum, ut illi, cui gratificari vult, aliquid boni contingat. lib. 2. Rhet. cap. 7.* Breviùs sic: Gratia est desiderium alteri benefaciendi, non sui commodi causâ, sed tantùm, ut alteri benefaciat. Malignitas contrà est desiderium malefaciendi ei, qui nihil mali intulit.

23 Φιλεῖν *Aristotcli* est, τὸ βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθὰ ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὐτῷ, ἢ τὸ κατὰ δύναμιν παρασκευαστικὸν εἶναι τούτων Id est, *Amare est velle alicui, quæ putat bona, idque illius, non sui ipsius causâ, & paratum esse ad ea pro viribus efficienda. lib. 2. Rhet. c. 4.* Amor ergo est affectus quo alicui optamus quæ bona putamus, eáque pro viribus efficere studemus, non nostri, sed illius causâ, quem diligimus. Odium amori contrarium est, ideóque definiri potest affectus, quo alicui optamus, quæ mala putamus, eáque pro viribus efficere studemus. Atq; hæc quidem propria quædam & stricta amoris & odii acceptio est, quâ

personæ solummodò dicuntur amari, & odio haberi. Aliás hæc vocabula sumuntur: & amor quidem pro desiderio fruendi eo, quod nobis videtur esse bonum: odium pro affectu, quo abhoremus à fruitione ejus, quod videtur nobis esse malum.

16. Ad lætitiam pertinet ἐπιχαιρεκακία: ad tristitiam miseri ordia, nemesis, invidia, zelus, zelotypia, pudor, pœnitentia. ἐπιχαιρεκακία est lætitia quam quis percipit ex alienis malis ἔλεός ὄζι λύπη τις ὅτι τῷ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ καὶ λυπηρῷ τῶν ἀναξίως τυγχάνειν, ὁ καὶ αὐτὸς προσδοκήσειε παθεῖν, ἢ τῶν αὐτῷ πνα, καὶ τοῦτο, ὅταν πλησίον φαίνηται. Id est, *Misericordia est tristitia* sive dolor *quidam conceptus ob malum quod videtur perniciem aut molestiam allaturum ei qui isto malo indignus est: & quod ipse putet se pati posse, aut suorum quempiam, ac imprimis cùm malum videtur imminere, l. 2. Rh. c. 8.* Breviùs Ἔλεός ὄζι λύπη ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοποιεῖσθαι. *Diog: Laërt: in Zenone.* Quod *Cicero* sic expressit: Misericordia est ægritudo ex miseria alterius injuriâ laborantis. *lib. 4. Tusc. quæst.*

17. Νέμεσις ὄζι λύπη ὀπὶ ταῖς ἀναξίαις εὐπραγίαις. Id est, *Indignatio est dolor ob alterius felicitatem qui eâ indignus est. lib. 2. Rhet. c. 9.* Φθόνος ὄζι λύπη τις ἐπὶ εὐπραγία φαινομένη τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν ὅτι τοὺς ὁμοί-

ως, μὴ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλὰ δι' ἐκείνους, Id est, *Invidia est dolor quidam ob prosperitatem, quæ apparet in iis bonis quæ dicta sunt, erga similes, non ut aliquid boni accedat invidenti, sed propter illos quibus invidetur lib. 2. Rhet. c. 10.* Vel, ut *Cicero*, Invidentia est ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti. *l. 4. Tusc. qu.*

18. Ζῆλος ὅτι λύπη τις ὅτι φαινομένη παρουσία ἀγαθῶν ἐντίμων, καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν, ὡς τοῦ ὁμοίους τῇ φύσει, ἐχ' ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ' ὅτι οὐκὶ καὶ αὐτῷ ὄντι. Id est, Æmulatio est dolor quidam ob bona honorata, quæ alius habere videtur, quæque ipse etiam alipisci potest, existens inter eos qui sunt naturâ similes, non quòd alius illa habeat, sed quod ipse non habeat *lib. 2. Rhet. cap. 2.* Ζηλοτυπία λύπη τις ὄντι ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι, ἃ καὶ αὐτὸς ἔχει. Id est, *Zelotypia est dolor quidam ex eo susceptus, quòd alteri quoque sit, quod ipse habet. Diog: Laërt. in Zen.*

19. Αἰσχύνη λύπη τις ὄντι καὶ ταραχὴ ὧδε περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῷ κακῶν, ἢ παρόντων, ἢ γεγονότων, ἢ μελλόντων. Id est, *pudor sive verecundia est dolor quidam & animi perturbatio, quæ fit ob mala vel præsentia, vel præterita, vel futura, quæ infamiam afferre videntur. lib. 2. Rhet. cap. 6.* Pœnitentia est dolor ob admissa peccata. Atq; hi sunt affectus ἐπιθυμητικοί.

20. Inter affectus θυμικὰς primum locum obtinet spes, quæ nihil aliud esse videtur, quàm desiderium boni difficilis, quod, quia videtur obtineri posse, conjunctum est cum lætitia. Desperatio spei contraria, est desiderium boni difficilis, quod, quia videtur obtineri non posse, conjunctum est cum tristitia.

21. Audacia est desiderium aggrediendi mali difficilis, conjunctum cum certa opinione salutis. Φόβος δέ ἐστι λύπη ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ; ἢ φθαρτικὴ ἢ λυπηροῦ. Id est; *Metus est dolor quidam aut perturbatio ex opinione impendentis mali, quod vel perniciem vel molestiam adferre possit. lib. 2. Rhet. cap. 5.* Brevius, Metus est fuga mali, quod videtur esse intolerabile.

22. Ὀργὴ σύνοψις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν εἰς αὐτὸν ἢ εἰς αὐτῶ τινα, ὃν προσηκόντως. Id est, *Ira est conjuncta cum dolore cupiditas operatæ ultionis, propter apparentem contemptum, quo quis se, aut quemquam suorum, contrà oportuit, affectum esse existimat. lib. 2. Rhet. cap. 2.* Stoicis ira est ἐπιθυμία τιμωρίας τῶν δοκούντων ἠδικηκέναι ἀ προήκοντος. *Diog. Laërtius in Zenon.* Quod *Cicero* sic expressit: *Ira est libido puniendi ejus qui videatur læsisse injuriâ. lib. 4. Tusc. quæst.*

23. In hisce affectibus duplex contrari

etas

eras ſpectanda eſt, altera in objectis, altera in terminis. Ratione objectorum contraria ſunt in appetitu concupiſcente, deſiderium & fuga, lætitia & triſtitia, gratia & malignitas, amor & odium; in appetitu iraſcente, ſpes & metus, audacia & deſperatio. Ratione terminorum opponuntur ſpes & deſperatio, metus & audacia. Quod enim in ſpe eſt terminus, ad quem animus ſperando movetur, id eſt terminus à quo animus in deſperatione repellitur; ſimili modo de audacia & metu judicandum eſt. Hanc poſteriorem oppoſitionem, appetitus concupiſcens non admittit: quia bonum quatenus bonum eſt, non poteſt eſſe terminus à quo, nec malum quà malum terminus ad quem in appetitione: h e. animus non poteſt repudiare bonũ, quà bonũ ſive, ab eo repelli; nec appetere malum quà malum, ſive ab illo trahi. Non poteſt ergò appetitus concupiſcens, qui circa bonum & malum abſolutè verſatur, accedere ad idem, & recedere ab eodem objecto. Bonum autem arduum poteſt eſſe terminus ad quem, quatenus eſt bonum; & terminus à quo quatenus eſt arduum, & inſuperabile. Similiter & malum arduum poteſt eſſe terminus à quo, quâ malum; & terminus ad quem, quatenus arduum quidem eſt, ſed tamen ſuperabile. Poteſt ergò appetitus iraſcens, qui verſatur circa bonum aut malum

arduum, accedere ad idem & recedere ab eodem objecto. *Thom. cit. loco, art. 2.*

24 Iræ, quæ versatur circa malum præsens nihil contrarium est; neque ratione objecti (quia bonum præsens, quod malo præsenti contrarium est, non habet difficultatẽ) neque ratione accessûs, & recessûs. Nam præsenti malo vel succumbit, & hoc pertinet ad tristitiam; ve resistit, atq; hoc iræ proprium est. *Ibid. art. 3. Aristoteles* iræ opponit πραότητα, eamque definit κατάστασιν καὶ ἡρεμησιν τῆς ὀργῆς. Id est, *remissionem & sedationem iræ. lib. 2. Rhet. cap. 3.* Sed non videtur iræ remissio ab ira discrepare specie, nedum ut illi contraria sit.

CAP. IX.

De Voluptate & Dolore.

§. 1.

PHilosophia moralis non solum circa actiones humanas & affectus, sed etiam circa voluptatem, & dolorem occupata est. Etenim in voluptate & dolore, non solùm mediocritas servanda est, sicut in actionibus, & affectibus

tibus: verùm & danda est opera, ut iis rebus gaudeamus, & doleamus, & eo modo, quibus, & quomodo gaudendum & dolendum est. Tum cavendum est, ne voluptatis illecebris ad turpes, atque improbas actiones illiciamur, & doloris aculeis ab honestis actionibus deterreamur. *lib. 2. Eth. cap. 3. lib. 2. Eud. cap. 4.*

2 Ut autem naturam τῆ ἡδονῆς καὶ λύπης id est, *voluptatis & doloris*, accuratè tradamus, observandum est, hæc vocabula trifariàm accipi: ac primò pro eo, quod voluptatem & dolorem adfert. Hoc sensu dicitur *lib. 3 Eth. c. 11.* temperantia, & fortitudo peculiari jure περὶ τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας versari, id est, περὶ τὰ ἡδέα καὶ λυπηρά, ut ipse sese Philosophus interpretatur. Aliàs omni virtuti morali tribuitur, versari περὶ τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας. *lib. 2. Eth. cap. 3.* Secundo sumuntur pro affectibus quibus animus movetur. Hoc sensu accipitur ἡδονὴ *lib. 6. Top. cap. 6.* quo loco dicuntur χαρὰ, πίρψις, εὐφροσύνη esse nomina τῆ ἡδονῆς, idem prorsus significare; cùm tamen χαρὰ inter affectus recenseatur. *lib. 2. Eth. cap. 5. & lib. 1. de Anim. c. 1.* Tertiò usurpantur pro affectione animi, quæ motum sequitur: quæ quidem ipsa affectus non est, sed comes est affectuum: ut, *lib. 1. Rhet. cap. 2. l. 2. Eud. cap. 2. & lib. 2. Eth. cap 5.* Quibus locis affectus hâc notâ describuntur, οἷς ἕπεται ἡδονὴ καὶ λύπη. Id est, *quæ comitatur voluptas & dolor.*

3. Voluptas

3 Voluptas hâc tertia acceptione definitur τελειας ενεργειας επιγιγνομενον τελος. Id est, *perfectæ operationis finis aut perfectio extrinsecùs accedens. lib. 10. Ethicor. cap. 4.*

4 Ex qua definitione colligitur, voluptatem proximè non proficiscì à facultate naturali, non etiam ab habitu, sed à facultatis naturalis aut habitûs operatione. Ideóque voluptatem non esse ipsam operationem facultatis naturalis, aut habitûs, sed perfectionem quæ cum operatione conjuncta est, eámque perficit; non quidem ut causa efficiens, quomodo objectum sensûs dicitur sensum perficere, cùm eum ad sentiendum impellit; non etiam ut habitus, id est, ut causa formalis & interna, quomodo dicitur sanitas efficere, ut quis sit sanus; sed ut finis quidam, qui quidem per se non intenditur, sed tamen qui actionem perfectam, quæ ab agente intenditur, perpetuò comitatur, sicut pulchritudo florentem ætatem *lib. 10. Eth. c. 4.* Nemo enim benè operatur ut voluptatem percipiat; sed voluptatem percipit, quia benè operatur.

5 Quemadmodum voluptas actionem perficit, ὡς τέλος ἐπιγιγνόμενον, ita actionis internam perfectionem præsupponit, eamque sequitur: sicut dolor comitatur actionem imperfectam. Est autem actio perfecta

ἕξις ἀνεμπόδιστος πρὸς τὸ κράτιστον ἧς ὑπ' αὐτῶν. Id est, *quæ editur à facultate optimè dispositâ minimeque impeditâ, & tendit in objectum in suo genere præstantissimum. lib. 10. Ethic. cap. 4.* Sic ex visione voluptatem percipimus, cùm & illæsa, ac non impedita videndi facultas; & res pulchra est quam intuemur.

6 Imperfecta actio, ex qua dolorem nasci diximus ea est, quæ, vel à læsa aut impedita facultate proficiscitur, aut quæ versatur circa objectum, quod facultati non respondet. Sic ex visione dolorem capimus, cùm vel ex oculis laboramus, vel cum rem horridam & obscœnam intuemur.

7 Mensura voluptatis & doloris, est sensus aut intellectus, quatenus appetitui præest. Quamdiu ergo τὸ αἰσθητὸν, καὶ τὸ νοητὸν ἢ οἷον δεῖ, καὶ τὸ κρῖνον, ἢ θεωρῶν, ἔσται ἐν τῇ ἐνεργείᾳ ἡ ἡδονή. Id est, *quamdiu objectum sensûs, aut intellectûs talia, sunt, qualia debent esse, atque ipse etiam sensus atque ratio, voluptas erit cum actione conjuncta. lib. 3. Eth. cap. 4.*

8. Voluptas, ut ex dictis colligitur, requirit proportionem objecti, & facultatis, cognoscentis: eâ sublatâ, voluptas tollitur, eique dolor succedit. Hinc petenda est ratio cur voluptas non possit esse perpetua, sed quæ priùs voluptatem adferunt, postea fastidium

dium pariant & dolorem; nimirum, quia homines ἀδυνατοῦσι συνεχῶς ἐνεργεῖν, id est, *nequeunt assiduam operationem perferre.* Delassantur enim, exhaustis & consumptis spiritibus, quorum adminiculo suis operationibus incumbunt. Hinc fit, ut cogitatio, & animi attentio remittatur, & voluptas langueſcat prius, obrepente satietate, deinde planè cesset, & in fastidium ac dolorem desinat. *lib.* 10. *Eth. cap.* 4.

9. Hinc etiam intelligitur cur trahat sua quemque voluptas, & quæ his voluptatem, aliis adferant dolorem; nimirum, quia non omnes eodem modo affecti dispositique, non eadem possunt omnibus esse convenientia *lib.* 10. *Eth. cap.* 5.

10. Voluptates inter seſe specie distinguuntur, sicut functiones, cum quibus sunt conjunctæ. Unicuique enim actioni quædam voluptas συνοικειοῦται, id est, *propria ac familiaris est*, à qua augetur & promovetur. μᾶλλον γὰρ ἕκαστα κρίνουσι, καὶ ἐξακριβοῦσι οἱ μὲθ ἡδονῆς ἐνεργοῦντες. Id est, *melius judicant & accuratius tractant singula, qui cum voluptate agunt* Sic Geometræ evadunt excellentes qui studiis Geometricis delectantur; & in Musicis, aliisq; disciplinis, eodem modo se res habet, *lib.* 10. *Eth. cap.* 5. Atqui quæ propria sunt rebus specie differentibus, ea specie quoq; discrepare necesse est. Quemadmodum ergò

sensus

ſenſio ſpecie differta cogitatione: ita etiam ſpecie differt voluptas quæ ex ſenſione ab ea quæ ex cogitatione percipitur.

11. Specifica voluptatum differentia vel inprimis liquet, ἐκ τῶν τὰς ἀφ' ἑτέρων ἡδονὰς ἐμποδίους εἶναι τῶν ἐνεργείαις. Id eſt, *ex eo, quòd voluptates ortæ ex aliis actionibus, alias, quaſlibet actiones impediant.* Ex. gr. ſi quis ſit, qui tibiâ canente delectetur, eum difficile erit orationi, quæ tum fortè habetur, tibiâ canente attendere. Idémque contingit, cùm quis duabus ſimul rebus vacat: Ea enim actio quæ jucundior eſt, alteram elidit; idque tanto magis, quanto illius voluptas major fuerit quàm alterius. Διὸ χαίροντες ὁτῷ οὖν σφόδρα, οὐ πάνυ δρῶ μὲν ἕτερον, καὶ ἄλλα ποιοῦμεν, ἄλλοις ἠρέμα ἀρεσκόμενοι. Id eſt, *Propterea, cùm re quapiam vehementer capimur nihil ferè aliquid agere poſſumus: at cùm eâ parùm delectamur, alia ferè agere ſolemus.* Nam planè, ſicuti proprius dolor, ita peregrina voluptas animum impedit, quò minùs attentè aliis quibuſlibet actionibus vacat, & ex iis voluptatem capiat, ſed diſpari tamen modo: nam proprius dolor animum violenter abſtrahit, peregrina voluptas blandè avocat ab aliis functionibus, & retrahit ad ſuas. Quoniam igitur, ἡ μὲν οἰκεῖα ἡδονὴ ἐξακριβοῖ τὰς ἐνεργείας, καὶ χρονιοτέρας, καὶ βελτίους ποιεῖ, αἱ δὲ ἀλλότριαι λυμαίνονται, δῆλον

ὡς

ὡς πολὺ διαφέρειν. i.e. *Quoniam propria voluptas actiones accuratiores, stabiliores, & meliores efficit, & alienæ voluptates actiones impediunt, sequitur voluptates plurimum differre. l. 10. Eth. c. 5.*

12 Voluptas variè dividitur: Ac primò in voluptatem animi, & voluptatem corporis.

13 Voluptas animi, animo propria est; & mente sic percipitur, ut ad corpus nullo modo pertineat; voluptas corporis sensu percipitur; ideoq; ad animum ita spectat ut corpus etiam afficiat: sensus enim corporei sunt. Contingit interdum (inquit Zenophon) ἢ αὐτῆς τῆς ψυχῆς ἡδέως ἢ λυπεῖσθαι. i.e. *ipso animo voluptatē percipere, aut dolorem* interdum, κοινῇ καὶ διὰ τῆς ψυχῆς καὶ διὰ τοῦ σώματος, id est, *pariter animo & corpore.* Illa animi; hæc sensûs voluptas est.

14 Voluptas corporis totuplex est, quot sunt sensus. Alia enim visu, alia auditu, alia aliis sensibus percipiuntur. Ex his voluptates ex gustu & tactu brutis etiam conveniunt, cæteræ sensuum voluptates in bruta non cadunt, πλὴν κατὰ συμβεβηκός, id est, *nisi per accidens* quatenus scilicet horum sensuum voluptates memoriam refricant, aut imaginationem concitant voluptatum ad gustum & tactum pertinentium. *lib. 3. Eth. cap. 10.*

15 Secundò dividitur voluptas in communem ac naturalem, & propriam atque adventitiam *l. 3. Eth. c. 11.* Voluptas communis dicitur, quam omnia animantia naturaliter, ac sine delectu expetunt, ac percipiunt ex usu nutri-

menti ac Veneris cujuslibet, adconservationem sui, tum in individuo, tum in specie. Voluptas propria est, quâ quodq; animal suo judicio sibi deligit, ex hoc aut illo nutrimẽto aut venere, de qua dicitur, *trahit sua quẽq; voluptas.*

16 Quot modis unum oppositorum dicitur, tot modis dicitur & alterum: quocirca eodem modo dolor dividi potest; primo in dolorem animi & corporis; secundò in dolorem communem & proprium.

17 Voluptas eodem modo æstimanda est, atque operationes, ex quibus oritur. Quocirca cum actiones aliæ bonæ sint, atque eligendæ, aliæ malæ, ac fugiendæ, aliæ, ἀδιαφόρως etiam voluptatum aliæ bonæ atque honestæ, aliæ malæ atq; inhonestæ, aliæ denique mediæ ejusdem conditionis censendæ sunt. *lib. 2. Eth. cap. 13. & lib. 10. c. 5.*

18 Quòd quædam voluptates inhonestæ sint, quædam mediæ conditionis, hoc est, neque honestæ neq; turpes, per se satis notum: quòd quædam honestæ sint ac bonæ, & à viro bono eligendæ, sequentibus argumentis contra *Platonicos* ostenditur. Primò, quia dolor voluptati contrarius est: at dolor malus est vel ἀσωλῶς, vel quatenus impedit honestas actiones. Ergò voluptas bona est, aut simpliciter aut ex parte. Secundò, quia beata vita cum voluptate conjuncta est: at si omnis voluptas mala est, beatum non tantùm

tantùm non ἡδέως, ἀλλὰ καὶ λυπηρῶς vivere necesse esset. *lib. 7. Eth. cap. 13.* Tertiò, quia omnes, non bestiæ solùm, sed homines etiam, voluptatem expetunt. Quarto, quia voluptas alia bona auget, majus enim bonum virtus est cum voluptate, quàm si sola sit, & voluptate destituta: *lib. 10. Ethic. cap. 2.*

19 Voluptates animi non solùm sunt præstantiores, quàm voluptates corporis: sed etiam ἁπλῶς bonæ sunt, cùm voluptates corporis tantùm sint bonæ secundùm quid, atque ex parte. Etenim voluptates corporis mediocritate probantur; excessu vitiosæ sunt: at voluptates animi modum non habent; sed quo majores eò præstantiores sunt. Deinde voluptates corporis alicui defectui corporis medentur; ideóque cum dolore conjunctæ sunt: at voluptates animi incorporeæ sunt, ac sinceræ, & ab omni dolore immunes. Atque hâc de causâ stabiliores sunt, & minùs satietati ac fastidio obnoxiæ. *lib. 7. Ethic. cap. 14.*

20 Causæ cur à vulgo corporis voluptates præferantur voluptatibus animi, ex multis hæ sunt. Primò, quia putantur corporis doloribus mederi eósque quantumvis magnos expellere. Secundò, quia vulgus, quod sensu magis viget, quàm mente, nullas alias voluptates percipere potest, præter voluptates,

ptates corporis, quæ sensus feriunt. *lib.7. Eth. cap.14.*

21 Hæc ferè sunt quæ *Aristoteles* de voluptate & dolore disputat, *Platonici* paulò aliter de voluptate philosophantur. Etenim *Plato* de voluptate disserit in *Philebo.* Ex quo dialogo talem definitionem collegit *Aristoteles.* Voluptas est γένεσις εἰς τὴν φύσιν αἰθητὴ, id est, *ortus in naturam, qui fit cum sensu, lib.7. Eth.cap.11.* Similitèr cum *lib. 1. Rhet. cap.11.* voluptatem definit, κίνησίν τινα τῆς ψυχῆς καὶ κατάστασιν ἀθρόαν καὶ αἰσθητὴν ὑπάρχουσαν φύσιν, id est, *motionem animæ & restitutionem subitum ac sensibilem in statum naturæ convenientem,* non ex sua, sed ex *Platonis* sententia loqui censendus est. Cæterum *Plato* per γένεσιν, κίνησιν, & κατάστασιν εἰς τὴν φύσιν, intelligebat ἀναπλήρωσιν τῆς ἐνδείας τῆς φύσεως, id est, *repletionem deficientis naturæ.* Adjecit autem vocem *cum sensu*, quia multæ motiones sunt quibus naturæ defectus atque indigentia restauratur, quæ tamen non sunt conjunctæ cum sensu, ut concoctio, accretio, &c. *Aspasius in cap. 3. lib.7. Eth.*

22. Exhisce colligebant *Platonici*, voluptatem esse imperfectam quia omnis motis imperfectus est, & actus entis in potentia *lib.7. Eth.cap.11, & lib. 10.cap 3.*

23. Hæc *Aristoteles*, rejicit atque refellit

lit. Ac primò docet, voluptatem non esse *motum:* quia motui competit celeritas & tarditas voluptati non competit. Ἡσθῆναι μὲν γὰρ ἔστι ταχέως, καὶ βραδέως, τοῦτ' ἔστι, μεταβάλλειν εἰς τὴν ἡδονὴν· ἐνεργεῖν δὲ κατ' αὐτὴν, λέγω δὲ ἥδεσθαι, ταχέως οὐκ ἔστι. Id est, *fieri potest, ut quis celeriter aut tardè voluptate perfundatur, id est, ad voluptatem traducatur: at voluptate frui celeriter non contingit. lib.* 10. *Eth. cap.* 3. Deinde docet voluptatem non esse *ortum aut expletionem naturæ deficientis.* Expletio enim corporis affectio est, molesta illa quidem, & cum dolore conjuncta: non est ergò voluptas ipsa expletio; verùm cum fit expletio, fieri potest ut aliquis voluptate afficiatur: sicut afficitur dolore cùm exinanitur, *lib.* 10. *Eth. cap.* 3. Præterea non omnes voluptates cum expletione conjunctæ sunt, sed eæ tantùm, quæ ex alimentis percipiuntur: voluptates animi, & non nullæ earum, quæ ad corpus pertinent, etiam tum percipiuntur, cùm natura nihil desiderat: idque sine ullo dolore, aut cupiditate præviâ. *lib.* 7. *Ethic. cap.* 11. *&* *lib.* 10. *cap.* 3.

24 Præterea falsum est, voluptatem imperfectam esse ac per partes, ut motus, acquiri. Quin est ὅλόν τι, καὶ ἀμέριστον, Id est, *totum quid atque impartibile:* ideoque ἀθρωός, id est, *momento temporis* percipitur. Etenim κατ' οὐδένα χρόνον λάβοι τις ἂν ἡδονὴν, ἢ; ἐπὶ

πλείω

πλείω χρόνον γιγνομένης τελειωθῆναι τὸ εἶδος. Id est, *Nullo tempore fieri potest, ut quis voluptatem percipiat, cujus forma cum productione temporis perficitur.* Nimirum, ὅτι τῆς ἡδονῆς ἐν ὁτῳῦν χρόνῳ τέλειον τὸ εἶδος. Id est, *quia voluptatis forma in quolibet tempore perfecta est. l* 10. *c.* 4. Est quidem alia voluptas aliâ diuturnior aut major: totâ tamen voluptate semper fruitur, quisquis fruitur.

CAP. X.

De virtutibus intellectualibus, præsertim de Prudentia.

§. 1.

CTUM est de fine & objecto moralis Philosophiæ superſunt media, quibus propositus finis acquiri debet, Virtus scilicet, & Amicitia, de quibus deinceps agendum est.

Virtus, & ἀρετὴ, unde dicta sint, dictum est *c.* 2 *parag.* 2. Virtus hoc loco non sumitur pro qualibet rei qualitate, aut efficacia, sed pro habitu, qui subjectum in quo est, (animum scilicet hominis) ἕξιν ἀποτελεῖ, καὶ τὸ ἔχον αὐτὸν εὖ ἀποδίδωσιν. Id est., *bene affectum reddit*

reddit, & opus ejus rectum, ac perfectum dat, lib. 2. Eth. cap. 6.

3. Virtutes dividuntur in διανοητικὰς & ἠθικὰς, id est, *intellectuales & morales, lib. 2. Et. 1. & lib. 6. cap. 1.* Quarum illæ, mentem; hæ, c. appetitum regunt, ac perficiunt. *lib. 1. Eth. cap. 13.* Per mentem autem intelligo partem illam animæ, quæ immortalis est. Errat enim *Picolhomineus*, quum virtutes dianoeticas in phantasia recipi, & in memoria servari docet *grad. 5. cap. 6.*

4. Operationes mentis duæ sunt, quæ virtute diriguntur, κατάφασις καὶ ἀπόφασις, id est, *affirmatio & negatio:* quibus totidem operationes appetitûs respondent, ὄρεξις καὶ φυγὴ, id est, *appetitio & fuga.* Quemadmodum autem virtus intellectualis mentem disponit: ut nihil affirmet, nisi verum, nihil neget, nisi falsum: ita disponit virtus moralis appetitum, ut nihil prosequatur nisi bonum, nihil aversetur nisi malum. *lib. 6. Eth. cap. 2.*

5. Virtus moralis non potest exercerisine virtute dianoëticâ. Appetitus enim noster ex se cœcus est: quare indiget duce ratione, quæ objecta censeat, & bonum esse dicat quod bonum est, & malum quod malum est: quæque mediocritatem, in qua moralis virtus posita est, in qualibet actione definiat, & ad varias circumstantias accommodet.

6. Virtutes dianoëticæ sunt quinque,

νῆς, ἐπιστήμη, σοφία, τέχνη, καὶ φρόνησις, Id est, *intelligentia, scientia, sapientia ars, & prudentia. lib. 6. Eth. cap. 3.*

7. Mentis partes duæ sunt, τὸ ἐπιστημονικὸν, καὶ τὸ λογιστικόν *lib. 6. Eth. cap. 1.* Sive quod eodem redit, τὸ θεωρητικὸν καὶ τὸ πρακτικόν. Mens enim theoretica, ad sciendum; practica, ad ratiocinandum, ac deliberandum valet. Ad partem theoreticam pertinent intelligentia, scientia: ad practicam ars & prudentia. Mens theoretica versatur circa ea, quorum principia aliter se habere nequeunt; practica, circa illa quæ hoc vel illo modo possunt evenire *lib. 6. Eth. c. 3.* Illius finis, & perfectio, est sola veritas; hujus, veritas ὁμολογοῦσα ἔχουσα τῇ ὀρέξει τῇ ὀρθῇ, id est, *quæ congruit cum appetitu recto*; quæq; ad actionem refertur *lib. 6. Eth. cap. 2.*

8. Intelligentia est habitus assentiendi principiis sine demonstratione, *lib. 6. Eth. cap 6.* Scientia est habitus demonstrativus; *Ibid. cap. 3.* hoc est, cognitio rerum necessariarum per causas, ac principia: *lib. 3. post. cap. 2.* Sapientia est rerum præstantissimarum scientia, cum intelligentiâ conjuncta *lib. 6. Eth. c. 7.* Ars est habitus μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητικὸς, id est, *cum recta ratione effectivus.* Ἔστι δὲ πᾶσα τέχνη περὶ γένεσιν, καὶ τὸ τεχνάζειν, καὶ θεωρεῖν, ὅπως ἂν γένηταί τι τῶν ἐνδεχομένων καὶ εἶναι, καὶ μὴ εἶναι. Id est, *Omnis enim*

ars in rei productione occupata est; idq; molitur & spectat, ut aliquid fiat eorum quæ esse possunt, & non esse: lib. 6. Eth. cap. 4.

9. Sed de his satis; de prudentia accuratiùs agendum est; Ea enim sola ad moralem spectat Philosophiam. Intelligentia, scientia, & sapientia Philosophiam theoreticam constituunt, & media sunt ad felicitatem theoreticam: ars omninò ad philosophiam non pertinet, quia hominis animum nullâ felicitatis parte imbuit (quod tamen Philosophiæ munus est) sed tamùm circa instrumenta vitæ occupata est.

10 Prudentia, dicta quasi providentia, *Ciceroni* est rerum expetendarum fugiendarùmque scientia. *Aristoteli* est ἕξις ἀληθὴς μετὰ λόγου πρακτικὴ περὶ τὰ τῷ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά. Id est, *habitus cum ratione verâ conjunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, quæ homini bona, vel mala sunt: lib. 6. Eth. cap. 5.*

11. In hac definitione genus est, *habitus cum ratione verâ*: quod nihil aliud est, quàm *virtus intellectualis*. Nam ratio ad intellectum, sive mentem pertinet, & veritas mentis perfectio est, quæ virtutem facit.

12. Differentia petita est à fine, & objecto. Finis prudentiæ indicatur, cùm dicitur habitus practicus: idq; non quia in praxi consistit, ut justitia, temperantia, & cæteræ virtutes morales; sed quia ad praxin ordinatur

virtutes morales; sed quia ad praxin ordinatur, eámque dirigit. Spectat enim veritatem cum recto appetitu, & actione conjunctam. Hâc parte distinguitur prudentia ab intelligentiâ, scientiâ, & sapientiâ: quarum perfectio veritas est, & finis θεωρία.

13. Objectum prudentiæ sunt ea omnia, quæ *homini bona vel mala* sunt, hoc est, quorum rectâ, vel pravâ electione, aut fugâ, homo probus, vel improbus constituitur: uno verbo τὰ πρακτά. Hâc parte discernitur prudentia ab arte, quæ versatur circa τὰ ποιητά. Quid inter πρᾶξιν, & ποίησιν discriminis sit, dictum est, *cap.* 1. §. 7. Sunt & alia inter prudentiam & artem discrimina; ac primò quòd artis sit aliqua virtus, prudentiæ non sit: hoc est, quod artifex possit esse bonus, & malus; prudens, non nisi bonus. Secundò, quod in arte excusatius sit (verba sunt *Senecæ, Epist.* 95.) voluntate peccare, quàm casu; in prudentia, maxima culpa sit sponte delinquere. *lib.* 6. *Eth. cap.* 5.

14. Officium prudentiæ est καλῶς καὶ ἀληθεύειν περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα, ἃ καὶ μέρη, οἷον ποῖα πρὸς ὑγίειαν ἢ ἰσχύν, ἀλλὰ ποῖα πρὸς τὸ ζῆν ὅλον. Id est, *benè consulere in iis, quæ sibi bona & utilia sunt, non singulatim, quænam, verbi gratiâ ad bonam valetudinem, aut robur, sed universè, quæ ad benè beatéque vivendum conducant. lib.* 6. *Eth. cap.* 5.

15. Consilium vir prudens init, non tam de universis, quàm de singulis. Universalia enim vivendi præcepta, & leges, magis certæ sunt, ac definitæ, quàm ut consultationem requirant. Quomodo autem singulæ actiones ad normam virtutis componendæ sint, longè obscurissimum est propter maximam circumstantiarum varietatem, à quibus actionis rectitudo, aut pravitas dependet. Hìc igitur consilio opus est.

16. Capto consilio, decernit prudentia, vel bonum præ malo, vel majus bonum præ minore, vel minus malum præ majore eligendum. Minus enim malum habet rationem boni. Hæc electio solùm habet locum in malo tristi: malum turpe nunquam prudens eligit, ne quidem si minus sit: quia suæ potestatis est utrumque malum evitare, nullámque turpitudinem, ne minimam quidem admittere.

17. Prudentia dividi potest, in Ethicam (*Aristoteles* eam vocat πλὴν ὡς ἐπὶ αὐτὴν καὶ ἕνα id est, *quæ versatur circa se solum.*) Oeconomicam & Politicam. Ethica prudentia dicitur, quâ quisque sibi privatim benè consulit; Oeconomica, quâ bene consulit familiæ; Politica, quâ benè consulit universæ civitati, καὶ τὸ ἄριστον τῇ πράξει στοχάζεται, id est, *collimat ad id, quod factu optimum est. lib. 6. Eth. cap: 8.* Tres hæ prudentiæ species, non subjecto

jecto sive re, sed τὸ εἶναι, id est, *essentiâ* ac *ratione* Discernuntur. *lib.* Unus enim habitus est, quo singulis & familiæ, & civitati consulitur; quia idem bonum est ἑνὶ καὶ πόλει, id est, *uni & urbi. lib.* 1. *Eth. cap.* 1.

18. Prudentia politica dividitur in architectionicam, & practicam: illa generales leges condit, ac canones, quibus civitas regenda est; unde & νομοθετικὴ, id est, *legislatoria* dicitur: hæc civitatem regit secundum conditas leges, & ψηφίσματα, id est, *decreta* facit ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα, id est, *de singulis factis*. Unde & politica κατ' ἐξοχὴν dicitur, servato nomine communis generis. *lib.* 6. *Eth. cap.* 8. Politica subdividitur in δικαστικὴν & βουλευτικὴν: quarum hæc in rebus gerendis; illa in præmiis, ac pœnis decernendis, & litibus dijudicandis, occupata est. *lib.* 6. *Eth. cap.* 8.

19. Prudentia cum virtute morali necessariò conjuncta est. Hinc duo sequuntur: Primò, Neminem posse esse virum bonum ac verè probum, sine prudentia. Οὐ γὰρ ἰσόνομον ἡ μὴ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, ἀλλὰ καὶ ἡ μὴ σὺν τῷ ὀρθῷ λόγῳ ἕξις, ἀρετή ἐστι. i. e. *Virtus enim non solùm rectæ rationi consentaneus, sed etiam cum rectâ ratione conjunctus habitus est: lib.* 4. *Eth. cap.* 3. Quinimò prudentia est veluti ἡγεμὼν τῶν cæterarum virtutem: ὡς γὰρ αὐτὴν διατάξει, οὕτως αἱ ἄλλαι καὶ οἱ κατ' αὐτὰς πράξουσι. Id est, *ut enim ipsa præscripserit, ita virtutes, & qui iis*

præditi sunt, agunt lib. 1. Mag. Moral. cap. 35. Etenim vis virtutis consistit in rectâ προαιρέσει. Atqui προαιρέσεως non potest esse recta sine prudentia. *lib. 6. Eth. cap. 13.* Est enim ὄρεξις βουλευτική. Id est, *appetitio cum deliberatione. lib. 6. Et. ca. 2.* Et καλῶς βουλεύεσθαι, id est, *rectè deliberare*, est munus prudentiæ. *lib. 6. Eth. cap. 5.* Secundò sequitur, neminem posse esse prudentem sine virtute morali. Prudens enim debet ad optimum finem vitam suam, omnésque actiones dirigere. At unusquisque finem sibi proponit studiis suis ac moribus consentaneum; bonus, bonum: malus, malum. *lib. 3. Eth. cap 5.* Vitiositas enim pervertit judicium rationis καὶ διαφθείρει περὶ τὰς πρακτικὰς ἀρχάς. Id est, *efficit ut de principiis actionum* (hoc est de fine) *falsum judicet lib. 6. Eth. cap. 12.* Ex quibus liquet, κατὰ τὴν τοιαύτην φρόνησιν, καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν ἐπιτελεῖσθαι τὸ ἔργον: id est, *prudentiâ & morali virtute opus virtutis absolvi.* Virtus enim τὸν σκοπὸν ποιεῖ ὀρθὸν, i.e. *scopum* (agenti propositum) *rectum facit*; prudentia, τὰ πρὸς τοῦτον, i.e. *media ad hunc ducentia. lib. 6. Eth cap. 12.*

20. Vulgò quatuor recensentur comites prudentiæ. σύνεσις, δεινότης εὐβουλία, καὶ γνώμη, i.e. *perspicacitas, solertia, rectitudo consilii, & sententia:* sed videntur σύνεσις & δεινότης inter causas potiùs prudentiæ, εὐβουλία & γνώμη inter effecta numerandæ.

21. Perſpicacitas eſt naturalis facultas judicandi de mediis. Differt ergò a prudentia non hoc ſolùm nomine, quòd à natura ſit, prudentia uſu acquiſita: ſed etiam, quòd judicet tantùm de iis, eáque approbet, quæ prudentia excogitavit, ac præcepit agenda aut omittenda, *lib. 6. Eth. c. 10.* Perſpicacitati opponitur ἀσυνεσία, id eſt, *ſtoliditas*, quæ & ipſa à natura eſt. Solertia eſt facultas naturalis, media celeriter conſequendi, & ad ſcopum applicandi *lib. 6. Eth. cap. 13.*

22. Hæ duæ cauſæ remotæ ſunt cauſa proxima prudentiæ ſunt præcepta, & experientia. Præcepta ſuppeditant cognitionem univerſalium; experientia, ſingularium: *lib. 6. Eth. cap. 8.* Utraque in prudente requiritur, ſed experientia præcipuè *lib. 6. Eth. cap. 8. & lib. 1. Met. cap. 1.* Hæc cauſa eſt cur juvenes fieri nequeant aut difficulter fiant prudentes: *lib. 1. Eth. cap 3. & lib 6. cap 8.* Experientia ex memoria gignitur: multæ enim ejuſdem rei memoriæ, unius experientiæ vim efficiunt: *lib. 1. Met. cap. 1.* Sub experientia comprehenduntur exempla, quorum obſervatio vel imprimis facit ad prudentiam.

23. Ut conſilium rectum ſit, (hoc enim ſonat εὐβουλία) requiritur, ut & finis bonus ſit, & media legitima: tum etiam ut nec præceps ſit, nec nimis lentum: *lib. 6. Eth. cap. 9.* Γνώμη definitur τῆς ἐπιεικοῦς κρίσεως ὀρθότης,

id est, *rectum æqui & boni viri* (de aliorum dictis aut factis) *judicium.* Vir bonus & æquus hic dicitur, qui συγγνωμικὸς est, hoc est, *facilis ad ignoscendum*, quod per ignorantiam & infirmitatem commissum est. *lib.* 6. *Eth: cap.* 11.

24. Cum prudentia pugnat, I. imprudentia; II. παρὰ μέρον φρονεῖν: III. πανουργία. Imprudens vocatur, qui, vel occasiones rerum gerendarum negligit, vel nimiâ affectuum vehementiâ, ac festinatione arripit, sine debita deliberatione: παρὰ μέρον φρονεῖν dicitur, qui sollicitam, & anxiam deliberationem instituit de rebus nihili: πανοῦργος sive versutus appellatur, qui pravum finem sibi propositum habet, vel pravis mediis aspirat etiam ad finem bonum.

CAP. XI.

De natura moralis virtutis in genere.

§. 1.

EXPLICATA virtute intellectûs, quantum quidem instituto nostro sufficit, de virtute morali porrò agendum est; idque vel secundùm essentiam absolutum,

absolutam, vel secundùm gradus perfectionis, aut imperfectionis. De virtute absolutè agendum est priùs in genere; deinde de singulis virtutibus in specie.

2. Virtus moralis definitur ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. Id est, *habitus cum consilio conjunctus, in medio citate consistens, quæ penes nos, ac judicio viri prudentis definita est: lib. 2. Eth. c. 6.* vel plenius hoc modo: Virtus moralis est habitus appetitûs sensitivi cum consilio conjunctus, inque eâ mediocritate affectuum, & actionum, nec non voluptatis atque doloris consistens, quæ ad nos relata, & viri prudentis judicio definita est.

3. Genus virtutis est *habitus* προαιρετικὸς. Τρία ταῦτα περὶ τὴν ψυχὴν γίνεται, δυνάμεις πάθος καὶ ἕξις. Ἡ μὲν δυνάμις, ἀρχὴ καὶ ὕλη τοῦ πάθους, τὸ δὲ πάθος, κίνησις τῆς δυνάμεως, ἡ δὲ ἕξις ἐκ καὶ κατασκευὴ τῆς δυνάμεως ἐξ ἔθους ἐγγινομένη Id est, *Tria sunt in animo, facultas, affectus, & habitus. Facultas est principium & materia affectûs, motio quædam facultatis; habitus, robur & conformitas facultatis consuetudine parta. Plut: de virt. Mor.* Ad horum unum virtutes & vitia referenda sunt. Non referuntur autem ad affectus, aut facultates. Nam à virtutibus boni denominantur, qui iis præditi sunt, à vitiis mali;

ob illas laudantur, ob hæc vituperantur: at à facultatibus, aut affectibus, nec bonus quispiam, nec malus nominatur. Facultates enim à natura sunt, & indifferenti modo se habent ad probitatem & improbitatem. Et affectibus commovemur; non sumus, neque dicimur tales, Relinquitur ergò, virtutem, esse habitum. *lib.* 2. Et. *cap.* 5. *l.* 1. *Mag. Mor. c.* 7. *l.* 2. Eud. *ca.* 2.

4. Additur προαιρετικός. non quia virtus ejusve propria functio in nudâ προαιρέσει consistit; sed quia non potest exerceri sine præviâ προαιρέσει.

5. Differentia virtutis moralis petita est à materia & forma. Materiæ nomine intelligitur subjectum & objectum. Nulla enim alia materia tribui potest accidentibus.

6. Subjectum virtutis haud dubiè est appetitus: verùm cùm appetitus sit geminus, alter rationalis, alter ἄλογος, (ille voluntas, hic appetitus sensitivus dicitur) in utro duorum virtus moralis sita sit, satis ancipiti controversiâ disputatur. Rationes enim pro utraque parte adferri possunt admodùm speciosæ. Urgentiores tamen eæ videntur esse, quibus appetitui sensitivo virtutes morales asseruntur: quarum hæ sunt præcipuæ.

7. Primò, virtus versatur in edomandis affectibus, ut posteà videbimus. Est enim habitus quo πρὸς τὰ πάθη εὖ ἔχομεν, id est, *benè sumus, in perturbationibus affecti. l.* 2. Eth. *cap.*

cap. 5. sive; quod eodem redit, quo affectus nostri rationi obediunt *lib.* 2. *Eth. cap.* 1. At affectus in appetitu sensitivo sunt, non in voluntate; ut docuimus *cap.* 7. *parag.* 9. Ergo & virtutes morales. Hoc argumento demonstrat *Aristoteles* contra *Platonem*, virtutes non esse scientias: si enim virtutes essent scientiæ, inquit, essent ἐν τῷ διανοητικῷ τῆς ψυχῆς μορίῳ, i.e. *in rationali animæ parte*: atque ita tolleretur, καὶ τὸ ἄλογον ψυχῆς μέρος, καὶ πάθος καὶ ἦθος. Id est, *pars animæ ratione carens, & affectus & mores*: 1. *Mag. Moral cap.* 1. Secundò, virtus debet in eâ animi parte collocari, quæ potest à ratione dissidere: at voluntas semper sequitur rationem: unde appetitus rationalis apellatur; nec ab ea unquam dissidet, nisi cùm ratio dissidet à seipsa, ut ostendimus *cap.* 6. §. 10. Tertiò, igniculi & semina virtutum sunt in appetitu sensitivo. Nam etiam in pueris esse exercent ante usum rationis. At virtutes, & eorum rudimenta, in diversis subjectis collocare, absonum planè atque absurdum est.

8. Quòd autem *Scotus lib.* 3. *sent. dist.* 33. *quæst.* 1. colligat virtutem non esse in appetitu sensitivo, quia est habitus προαιρετικὸς, qui versatur circa bonum honestum, cujus actus sit laudabilis, & homini peculiaris; non satis solidum est. Nam appetitus sensitivus duplicitur considerari debet; nempe, vel quatenus

quatenus à ratione seperatus est, ut sit in brutis: vel quatenus cum ratione conjunctus est, ab eáque regi potest; ut sit in homine. Si priori modo consideretur, fatendum est, ei neque προαίρεσιν, neque honestatem, neque laudem convenire, neque ejus actum homini proprium ac peculiarem esse. At si consideretur idem, quatenus ratione dirigitur, jam & προαίρεσις illi convenit & honestas, ejusque actio laudabilis, & homini ita propria ac peculiaris esse potest, ut in bruta non cadat. Quoties enim appetitus sensitivus rationis consilio paret, causa non est, cur illius actio minùs dicatur προαιρετικὴ, quàm actio ipsius voluntatis. Imò actio appetitûs sensitivi ab actione voluntatis non discrepat, cùm appetitus sensitivus sequitur consilium rationis.

9. *Thomas* à communi virtutem conditione excipit justitiam, eámque tribuit voluntati: sed repugnante ratione. Etenim justitia nihil aliud est, quàm universa virtus moralis, licèt τὸ εἶδος non sit idem. Nam absolutè considerata, virtus dicitur: in ordine ad alium, justitia *l.* 5. *Eth. c.* 1. Hæc distinctio in ratione, potius quàm in re consistit. Quare fieri non potest, ut cùm in appetitu sensitivo sint cæteræ virtutes, justitia ponatur in voluntate. *Aristoteles* tantùm duo genera virtutum facit, intellectuales & morales: illas ponit ἐν τῷ λογιστικῷ, has ἐν τῷ ἀλόγῳ *lib.* 1. *Mag. Mor.*

Mar. cap. 1. & 5. lib. 2. Eud. cap. 1. Tertiam ſedem non agnoſcit. Aut ergò juſtitia ſita erit ἐν τῷ ἀλόγῳ, aut erit inter virtutes intellectuales numeranda. Falſum, autem eſt, quod à *Thoma* adfertur, bonum alienum excedere proportionem appetitûs ſenſitivi; ac proinde juſtitiam, quæ verſatur circa bonum alienum, ad voluntatem, non ad appetitum ſenſitivum pertinere. Nam certè, ſi ſpectetur appetitus ſenſitivus, quatenus in homine rationis imperio ſubjectus eſt, ac ſedes cæterarum virtutum conſtituitur, vel ab ipſo *Thoma*, non minùs ad alienum bonum à ratione, quâ ducitur, excitari, atque impelli poteſt, quàm ad proprium. Quod autem definitionem juſtitiæ ad ſuæ ſententiæ ſtabilimentum adducit; non admodùm firmum eſt. Nam cùm à. I. Ctis juſtitia definitur, conſtans & perpetua *voluntas* ſuum cuique tribuendi, *ff. de inſtit & 1. lib* aut ab *Ariſtotele* habitus quo homines propenſi ſunt ad res juſtas gerendos, quoque res juſtas gerunt, & gerere volunt *l 5. Eth. cap: 1.* voluntas non opponitur appetitui ſenſitivo, ſed deſignat ſolum modò, juſtitiam non poſſe ſine voluntate, aut renitente voluntate exerceri. Atque hoc non eſt juſtitiæ peculiare, ſed omnibus virtutibus moralibus commune.

10. Quum in appetitu ſenſitivo virtutes morales ponimus, civiles atq; Ethicas, non Theologicas

Theologicas virtutes intelligimus. Aliam enim harum rationem esse, facilè agnoscimus. Charitas enim manet in altera vita, 1 *Cor. Cap.* 13. in qua non erit locus appetitui sensitivo, saltem non ante resurrectionem.

11. Præterea concedimus, in voluntate esse quosdam habitus virtutibus moralibus analogos, qui ex prudentia, ut effecta ex suis causis, immediatè profluunt; quique sic se habent ad prudentiam, sicut actiones voluntatis se habent ad actiones intellectûs practici. Hi habitus voluntatem quidem perficiunt ut subiectum, non dirigunt aut determinant ut obiectum. Voluntatem enim ab intellectu practico determinari, alibi dictum est At virtutes morales non solùm appetitum sensitivum perficiunt ut subiectum, sed dirigunt etiam ac determinant ut obiectum; eumque rationi subiiciunt, ac reddunt morigerum, tametsi naturâ suâ sequatur dictamen phantasiæ. Morales ergò virtutes in sunt appetitui sensitivo ut sequatur rationem: at habitus illi virtutibus ἀναλόγοις, in sunt voluntati, quia sequitur rationem.

12 Sic de subjecto: Obiectum virtutis sunt affectus, quos in appetitu sensitivo residere demonstravimus *cap. 7. par.* 10. & πράξεις, quæ ex affectibus oriuntur, *lib.* 1. *Eth c.* 6. Item voluptas, & dolor, quæ παντὶ πάθει: καὶ πάσῃ πράξει, καὶ πᾶσι τοῖς ὑπὸ τὴ αἵρεσιν παρακολουθεῖ,

παρακολουθεῖ, id est, *omnem affectum, omnem actionem, imò omnia, quæ sub electionem veniunt, comitatur: lib.2.Eth.cap.3*

13. Hæc est materia virtutis moralis, iam de forma dicendum est. Forma virrutis est mediocritas, hoc est, medium inter nimium & parùm, sive inter excessum & defectum. Nam si artes inter nimium & parùm, medium servant; si opera quæ scitè affabreque facta sunt, hoc nomine commendantur, ὅτι οὔτε ἀφελεῖν ἐστὶν, οὔτε προσθεῖναι, ὡς τῆς μὲν ὑπερβολῆς καὶ τῆς ἐλλείψεως φθειρούσης τὸ εὖ, τῆς δὲ μεσότητος σωζούσης, Id est, *quòd nihil illis detrahi aut addi possit, excessu & defectu operis perfectionem corrumpente, idemq́ mediocritate conservante:* quidni virtus moralis, quæ omni arte ἀκριβέστερα καὶ ἀμείνων ἐστὶ, τοῦ μέσου ἂν εἴη στοχαστική. Id est, *quæ omni arte limatior & melior est, sagittarii more medium seu scopum petat ac feriat. lib.2.Eth.cap.6*

14. Mediocritas hæc præcipuè servanda est in affectibus, & actionibus: *lib.2 Eth. cap.6.* Si enim in his nihil fuerit peccatum, non peccabitur, in voluptate aut dolore. Qui enim appetit & aversatur; agit, & omittit quod debet, & quomodò debet, is voluptatem aut dolorem non percipit, nisi ex quibus rebus, & qumodo percipere debet.

13. Primùm ergò servanda est mediocritas in affectibus. Etenim ἐν παντὶ συνεῖ

καὶ

καὶ διαιρε τῷ ἔστι λαβεῖν, τὸ μὲν πλεῖον τὸ δ' ἔλαττον τὸ δ' ἴσον. Id est, *in omni re continuâ ac divisibile, & plus, & minus, & æquale sumere possumus.* Atqui affectuum divisibilis quædam latitudo est. Ergò in affectibus excessus locum habet, defectus, & mediocritas *lib. 2. Eth. cap. 6.* Affectus non esse toto genere malos, *cap. 7. §. 22.* contra Stoïcos probavimus. Quare non debet virtus affectus abolere, sed moderari & regere, ut inter excessum & defectum consistant. Non est ergò virtus ἀπάθεια ἠτηρεμία, id est, *vacuitas à perturbatione, aut animi quies,* ut Stoïci voluerunt, sed συμμετρία potiùs affectuum, ac mediocritas: *lib. 2. Ethic. cap. 3.*

16. In actionibus etiam latitudo quædam est, atque extensio, aut potiùs in rebus circa quas actiones humanæ sunt occupatæ, veluti in pecunia, honore, periculis, nutrimento, &c. In his ergò excessus etiam est, defectus, & mediocritas, quorum illum, & istum virtus fugere debet, hanc servare. Hæc igitur est mediocritas, servare modum, tum affectu in animo, tum eventu & actionibus in rebus externis. Verbi gratiâ, modestia ita regit animum, ut nec immoderatos honores affectet, nec admittat.

17. Omne medium est inter duo extrema. Ergò & virtus erit inter duo extrema vitia, quorum utramque quidem virtuti contrarium est,

est, alterum in excessu, alterum in defectu: *lib. 2. Eth. cap. 6.* Sed tamen πλείων ὅταν τὸ τῆς ὑπερβολῆς πρὸς ἄλληλα, ἢ πρὸς τὸ μέσον: Id est, *major extremorum inter se pugna est, quàm cum medio. lib. 2. Ethic. cap. 8.* Pugna autem extremorum cum medio inæqualis est: Interdum enim excessus, interdum defectus magis cum medio pugnat *lib. 2. Eth. cap. 8.*

18. Verùm enim verò non omnis affectus aut actio medium admittit. Quædam enim εὐθὺς ὠνόμασται συμπεπλεγμένα τῇ φαυλότητι, id est, *quorum nominibus statim vitium est implicatum*, ut invidia, impudentia, adulterium, furtum, &c. Alia ipsâ statim appellatione bona sunt, ut nemesis, pudor, zelus, jejunium, eleëmosyna. Atq; hujus quidem rei hæc est ratio, quòd hæc vocabula non nudos affectus, aut nudas actiones significent: sed affectus & actiones cum circumstantiis conjunctas, in quibus bonitas aut malitia moralis posita est. Itaque sicut in extremis non est medium, & in medio non est extremum; ita etiam in illis quæ per se mala sunt, non potest servari modus, neque in aliis, quæ per se bona sunt, modus transiri: *lib. 2. Eth. cap. 6.*

19. Virtus bifariam spectari potest, uempe vel κατὰ τὴν ἐσίαν καὶ τὸν λόγον τὸν τὸ τί ἦν εἶναι λέγοντα, id est, *secundùm essentiam ac definitionem*, vel κατὰ τὸ εὖ καὶ τὸ ἄριστον, id est, *secundùm præstantiam ac perfectionem*. Si virtus spectetur

ſpectetur ſecundùm eſſentiam, medium eſt inter extrema vitia: quæ ſibi invicem opponuntur, ut extremum extremo; virtuti, ut extrema medio: ſi verò ſpectetur ſecundùm perfectionem, extremum eſt, & duo vitia alterius extremi rationem habent *lib.* 2. *Etij. cap.* 6.

20. Præterea, virtus conſiderari poteſt, vel κατὰ τὸ ποῖον vel κατὰ τὸ πόσον: Id eſt, *vel ratione qualitatis, vel ratione quantitatis.* Ratione qualitatis diviſibilis eſt, & ſenſim creſcit, prout altiùs in animo hominis defigitur eùmque magis firmat in propoſito benè agedi. Quare non ſunt audiendi Stoici, quibus μήτε ἀρετῆς ἀρετὴ ὑπερέχει, μήτε κατόρθωσις κατορθώσεως: Id eſt, *nec virtus virtute major eſt, neq; rectè factum rectè facto. Plut. de Stoic. cont.* Ratione quantitatis conſiſtit in indiviſibili medio, à quò quicquid recedit, peccatum eſt. Τὸ μὲν γὰρ κατορθοῦν, μοναχῶς ἐστὶ τὸ δ' ἁμαρτάνειν, πολλαχῶς. Id eſt, *rectè facere uno tantùm modo contingit; peccare, multis modis: l.* 2. *Et. c.* 6. Nam τὸ μὲν ἀγαθὸν μονοειδὲς τὸ δὲ κακὸν πολυειδὲς: Id eſt, *bonum uniforme, malum multiforme:* 1. *Mag. Mo. c.* 25. Hæc tamen indiviſibilitas, non mathematicè, ſed Ethicè conſidurari debet, hoc eſt, cum aliqua qualicunque latitudine. Nam ὁ μικρὸν τῶν εὖ παρεκβαίνων οὐ ψέγεται, ἀλλ' ὁ πλέον, id eſt, *non reprehenditur qui paululùm deflectit à perfectione, ſed qui longè: lib.* 2. *Et. cap.* 9.

21. Ab

21. Ab indiuisibili virtutis medio interdum longiùs receditur, interdum minùs longè. Quare iterum errare Stoicos necesse est cùm peccata volunt esse paria. Peccatorum næqualitas pendet à diversitate circumstantiarum; ab his enim actionum qualitatem ac discrimen morale pendere, dictum est *cap.* 5. §. 11. Nam graviùs haud dubiè peccatum est, patrem de liberato consilio, & studio nocendi, quàm iusto dolore stimulatum, peregrinum interficere.

22. Medium virtutis ἢ κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, ἢ πρὸς ἡμᾶς, id est, *vel ex ipsa re, vel ex relatione ad nos* diiudicandum est. Illud vocatur medium rei, hoc, medium personæ, sive medium rationis. Medium rei est, quod æqualiter distat ab extremis: sic sex dicimus esse mediũ inter duo, & decem. Mediũ rationis, est, quod unicuique convenit; quódque neque nimium, neque parum est. Mediũ rei unum est, & omnibus idem; medium rationis varium & mutabile. Utrumq; medium pendet à proportione; medium rei pendet à proportione Arithmeticâ; medium rationis à proportione Geometricâ In proportione Arithmeticâ servatur æqualitas excessũs; ut inter 2 4.6. In proportione Geõetricâ servatur similitudo rationum; ut inter 2.4.6. Illic e. quaternarius nũerus tot unitatibus superat binariũ, quot à senario superatur; hìc, quatenarius toties cõtinet binariũ quoties

quoties ab octonario continetur.

24. Virtutes morales positæ sunt in medio rationis, non in medio rei: idq; propter duas causas. Prima est, quia virtus inæquali interuallo distat ab extremis, ita ut cum altero majorem cum altero minorem affinitatem habeat. Verbi gratiâ, liberalitas propiùs accedit ad prodigalitatem quàm ad avaritiam; & sic de cæteris. Secunda causa est, quia virtus se debet ad varias circumstantias accommodare, & nunc ad unum, nunc ad alterum extremum propiùs accedere. Ab hac communi lege excipienda est justitia: ea enim non in simplici, sed in analogico sive proportionali medio consistit. Medium enim justitiæ non pendet à proportione sed ipsum est proportio quædam, ut suo loco dicemus.

24 Medium virtutis in qualibet actione, viri prudentis consilio definiendum est. Quod sic non est intelligendum, ac si in qualibet actione viri prudentis consilium foret expectandum: sed hoc eò spectat, ut indicetur, modum cujusvis actionis, rectæ rationis dictamine, quam prudentes semper sequuntur, definiendum esse.

CAP. XII.

CAP. XII.

De causa efficiente virtutis moralis.

§. 1.

EXplicata est definitio virtutis moralis: agendum est porrò de causa efficiente; idq; eo magis, quia de eâ non uno modo sentiunt Philosophi. Tum etiam utilis est hæc doctrina ad naturam, & vim virtutis accuratè, ut debet fieri, intelligendam. Quare expensis primùm dissentientium Philosophorum sententiis, quid de ortu ac causa virtutis sentiendum sit, ex *Aristotele* docebimus.

2. *Galenus* virtutum & vitiorum causam videtur constituere corporis temperamentum; quia nimirum, animi mores temperamentum corporis sequuntur. Stoici videntur existimâsse, virtutes esse à natura, eáspue hominum animis innasci; vitia esse contra naturam, eáque parari pravâ consuetudine, ad quam alii aliorum exemplo seducuntur. *Socrates* volebat virtutes ἐπιστήμας esse: *lib.* 1. *Mag. Moral cap.* 1. aut φρονήσεις: *lib.* 6. *Eth. cap.* 13. aut etiam λόγους. *lib.* 1. *Mag: Mor: cap:* 35. Quibus loquendi modis significare voluit, virtutes ad mentem pertinere, ac proinde

inde doctrinâ & institutione parari.

3. Hæ sententiæ habent quidem aliquid veri, ut posteà videbimus, sed nulla earum τὴν κυρίαν αἰτίαν, id est, *proximam ac præcipuam causam*, quæ hîc quæritur, assignat.

4. Temperamentum proxima virtutis & vitiorum causa esse non potest. Nam etsi vitiosum & morbidum temperamentum hominum mores secum ferè trahat, (copiosa enim & accensabilis, furorem; & nimia pituita fatuitatẽ adfert:) temperamentum tamen sanum, homines ad hos aut illos animi motus ac mores disponit tantûm ac inclinat, non trahit necessariò. Sæpè enim consuetudine mutantur mores, non mutato temperamento, & sæpè mutatur temperamentum, non mutatis moribus. Tum temperamentum in nostra non est potestate; at mores in nostro sunt positi arbitrio, ut docuimus *cap. 6:*

5. Sed neq; à natura virtus est. Nam primò, quicquid à natura est, immutabile est: at mores assuefactione mutantur. Nam qui bonus erat & probus, improbus sæpè fit consuetudine vivendi, & contrà. Secundo, quæcunque à natura nobis obveniunt, πάς δυνάμεις πας τέπων πρότερον κομιζόμεθα, ὕστερον δὲ τὰς ἐνεργείας ἀποδίδομεν. id est, *horum prius facultates accipimus, deinde functiones obimus.* Neque enim ex iteratâ sæpè sensione sensum accipimus, ἀλλ' ἀνάπαλιν ἔχοντες ἐ-

χρησάμεθα

χρησάμεθα, ἃ χρησάμενοι ἔχομεν. Id est, *sed contrà, cùm sensum haberemus, eo usi sumus; non adepti sumus eum, quia usi sumus.* At virtutes consequimur, ἐπεργάσαντες πρότερον, id est, *postquam exercuimus priùs, quæ virtutis sunt.* Tertiò, legislatores solent homines præmiis ad virtutes incitare, pœnis à vitiis deterrere; fruſtrà, si virtutes & vitia à natura proficiscuntur, non ab arbitrio nostro: *lib. 2, Etb. cap. 1.*

6. Sed nec institutioni aut doctrinæ virtutes in solidum tribuenda est. Etenim πρὸς ἀρετὰς τὸ εἰδέναι μικρόν, ἢ οὐδὲν ἰσχύει. Id est, *ad virtutes comparandas scientia sive doctrina parùm aut nihil valet: l. 2. Et. c. 4.* Non flectit enim voluntatem, nec subigit affectus. Etsi enim intellectus de rebus appetendis & fugiendis edoctus, verè quidem judicet cùm eas absolutè considerat, hallucinatur tamen sæpè cùm eisdem cum omnibus circumstantiis confert, & ad actionem destinat. Atque hic error ab affectu est. Nam qui affectibus ducitur, non audit dehortantes à vitiis; nec rationes, aut præceptorum momenta intelligit. Non priùs ergò prodest doctrina, quàm animus auditoris ità excultus est moribus, ut possit rectè gaudere, & dolore. *li. 10. Et. cap. 9.*

7. Hic affectus non nisi consuetudine subigitur: ex quo sequitur, consuetudinem κυρίαν αἰτίαν εἶναι τοῦ πῶς ἡμᾶς ἔχειν τὰς ἕξεις. Id est,

id est, *præcipuam ac proximam causam esse morum:* sicut *Aristoteles* docet, *lib: 2. Eth: cap: 1. & 2.*

8. Consuetudo, quam *Græci* ἔθος vocant, nihil aliud est, quàm crebra moralium actionum repetitio. Actionibus virtutes effici, vel ipsa docet experientia. Ut enim fabricando, fabrisita τὰ δίκαια καὶ σώφρονα πράττοντες, id est, *justas ac temperatas actiones exercendo*, justi ac temperantes fiunt *lib. 2. Eth: cap: 1.* Idem evincit vocis etymon: virtus enim ἠθικὴ dicta est ἀπὸ τοῦ ἔθους, à consuetudine, voce in uno tantùm elemento mutatâ *lib: 2. Eth: cap: 1.*

9. Numerus actionum, quibus virtus generatur, non potest definiri. Plures enim vel pauciores requiruntur, prout animus ad virtutem magis est aut minùs dispositus; prout etiam actiones validiores sunt aut minùs validæ: Actionum enim paucitatem, valor & attentio facilè compensat.

10. Actiones quibus virtus comparatur, debent constare certâ quâdam mediocritate inter excessum & defectum: quæ à mediocritate recedunt, virtutem corrumpunt potiùs, & vitium generant: *lib. 2. Eth: cap: 2.*

11. Medium in actionibus & affectibus consequi, summæ difficultatis est. Facile est irasci, & pecuniam erogare: at difficile est irasci, & pecuniam erogare, cui, quantum,

tum, quando, quamobrem, & quomodo oportet: *lib. 2. Eth. cap. c.*

12. Quare hæc tria præcepta ſtudioſè ſervanda ſunt. Primò, quandoquidem τῶν ἄκρων, τὸ μὲν ἐστιν ἁμαρτωλότερον, τὸ δ' ἧττον. Id eſt, *extremorum alterum majus peccatum eſt, alterum minus:* ſi quis medium accuratè non poſſit aſſequi, τὰ ἐλάχιστα λητέον τῶν κακῶν, id eſt, *minima malorum eligenda, ſunt,* & maximè declinandum ab eo vitio quod virtuti maximè adverſatur: *lib. 2. Eth cap. 9.* ſic tamen hæc regula ſervanda eſt, ut non accidat illud, *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin.*

13. Secundò, longiſſimè recedendum eſt ab eo vitio, ad quod naturâ ſumus proclivio res, atque ex quo plus voluptatis percipimus. Πολὺ γὰρ ἀπαγόντες τὸ ἁμαρτάνειν, εἰς τὸ μέσον ἥξουμεν. Id eſt, *cùm longiſſimè à peccato recedimus, ad id quod medium eſt venimus:* eo nempe modo quo ligna diſtorta flexione recta fiunt. *lib. 2. Ethic. cap. 9.*

14. Tertiò, in omni negotio voluptas & quicquid jucundum eſt, nobis debet eſſe ſuſpectum. Οὐ γὰρ ἀδέκαστοι κρίνουμεν αὐτῶν: id eſt, *in ea judicanda nimium nobis tribuimus: lib. 2 Eth. cap. 9.* Non eſt ergò committendum, ut noſtras actiones voluptate aut dolore metiamur, & licitum putemus omne id, quod injucundum nobis eſt; & illicitum,

quod

quod injucundum.

15. Actiones non tantùm causæ sunt, sed affecta virtutum. Nam ex τὸ ἀπέχεσθαι τῶν ἡδονῶν, γιγνόμεθα σώφρονες καὶ γιγνόμενοι, μᾶλιστα δυνάμεθα ἀπέχεσθαι αὐτῶν. Id est, *abstinendo à voluptatibus, temperantes efficimur: & temperantes effecti, voluptates maximè possumus aspernari.* Eodem modo se res habet in aliis virtutibus.

16. Inter actiones quæ virtutem efficiunt ac formant; & eas quæ virtutem formatam consequuntur, non exiguum discrimen est. Nam quæ virtutem antecedunt, eventu quidem bonæ sunt, non animo: at quæ virtutem consequuntur, & eventu & animo bonæ sunt. Qui enim virtute præditus est, & sciens agit, & προαιρούμενος, hoc est, *capto consilio*, & voluntate firmâ, ac constanti: qui virtute nondum est præditus, eadem quidem agit, sed non eodem modo, & animo. *lib.* 2. Et. *ca.* 4.

17. Utrum habitum virtutis quis adeptus sit necne, ex voluptate & dolore, quæ nostras actiones sequuntur, judicari potest. Si quis enim ex virtutis actionibus capit voluptatem, certum est, eum hominem virtute præditum esse; at si quis ob honestas actiones contristetur, is habitum sibi nondum peperit. *lib.* 2. *Ethic. cap.* 3. Sunt alia multa signa vel crescentis, vel perfectæ virtutis, quæ accuratè recensentur à *Plut. lib. de suo in virtute profectu cogn.o.*

cognoscendo.

18. Consuetudo, quam præcipuam virtutis causam esse diximus, naturam præsupponit, & doctrinâ atque institutione dirigitur. Tribus ergò rebus boni fiunt. Hæc tria sunt φύσις, ἔθος, καὶ λόγος, id est, *natura, consuetudo, & ratio sive institutio in doctrina: lib. 7. Pol. cap. 13.* Natura incipit, doctrina dirigit, consuetudo absolvit.

19. Per *naturam* non tam ipsæ facultates naturales intelligēdæ sunt, quàm naturę quędam prærogativa, quam εὐφυΐαν Philosophus *l. 3. Eth. cap. 5.* & virtutem naturalem *lib. 6. Et. cap. 13.* appellat. Hanc naturæ prærogativam respiciens, docet virtutes μὴ παρὰ φύσιν ἀλλὰ πεφυκόσιν ἡμῖν δέχεσθαι αὐτὰς ἐγγίγνεσθαι. Id est, *non præter naturam, sed sic affectis ineśse, ut ad eas suscipiendas apti simus naturâ: lib. 2. 1.* & τὰ ἤθη, id est, *virtutes morales*, id est, dispositiones quasdam ad virtutem, naturâ nobis ineśse *lib. 6. Eth cap. 13.*

20. Εὐφυΐα comprehendit corpus benè temperatum: item sagax ingenium, acre ac solidum judicium, fidelem memoriam, bonam indolem, aliásque dotes naturales, quæ ex benè temperato corpore ferè consequuntur, item semina virtutum, hoc est, generalissimum propositionum ad discrimen honesti atque inhonesti spectantium notiones.

21. Institutio alia est practica, alia, speculativa. Institutio practica primò in pueris, deinde in adultis adhibenda est. pueri inde à teneris ad honestatem & virtutem educandi sunt. Bona enim educatio magnum habet ad virtutem generandam momentum. Nam etsi pueri non sint virtutum aut vitiorum capaces, quamdiu pueri sunt: utile tamen est ac necessarium, ut iis rebus assuescant, in quibus virtus consistit. Nam,

Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.

22. Utile est etiam in pueris excitare laudabiles quosdam affectus, pudorem, zelum, gloriæ cupiditatem, & id genus alios; quibus, seu frænis ac stimulis quibusdam, ad officium faciendum adigantur. Etsi enim virtute præditi, his adminiculis non indigeant, ut qui solo virtutis amore virtuti student: in juvenibus tamen, aliisque qui ad virtutem formandi sunt, valdè commendantur *lib. 4. Eth. cap. 9.*

23. Adulti præceptis instituendi sunt, & exemplis. Præcepta sunt exemplaria, & normæ formandæ vitæ; exempla non solùm sunt normæ vivendi, sed & stimuli, quibus animus impellitur ad studium virtutis, & à peccatis deterretur.

24. Institutio speculativa spectat Philosophiam theoreticam; quæ licèt toto genere diversa

diversa sit à Philosophia practicâ, utilissima tamen est ad virtutis studium. Primò, quia de mulcis agit, quorum cognitio in practica Philosophia est necessaria, ut de fine, de anima, ejusque facultatibus. Secundò, quia judicium format, & magna magni, parva, parvi æstimare facit Tertiò, quia animum abducit à rebus corporeis. Quartò denique quia multa suppeditat argumenta, quæ nos ad virtutem invitant.

CAP. XIII.

De Pietate

§. 1.

EXplicata est virtus moralis in genere: sequuntur species. Neque enim unica tantùm virtus est, ut ex *Stoïcis* antiquioribus quidam existimârunt, sed plures eæque specie differentes. Differentia virtutis petenda est ab objecto: objectum vel internum est, vel externum: internum sunt affectus: externum, personæ, erga quas; & res, in quibus virtus exercetur.

2. Ex objecto externo dividitur virtus in pietatem & probitatem: pietas erga Deum

est, probitas erga homines. Neque enim hic pietas pro φιλοσοφία sumitur, sed pro εὐσεβεία. Atque hoc sensu inter virtutes morales censetur, & ad civilem beatitudinem dirigitur: quia & ipsa in affectu posita est, quæ virtutum est materia, & mirificè conducit ad reliquos affectus moderandos. Probitas iterum in varias species subdividitur, ut *capite sequente dicemus.*

3. Virtutes dupliciter considerari possunt: nempe, vel quatenus inchoatæ, vel quatenus absolutæ atque perfectæ sunt. Si virtutes inchoatæ, sunt atque imperfectæ unaquæque potest sine aliis consistere: at perfecta virtus in nullo reperiri potest, qui non sit omnium virtutum coronâ stipatus. Adeò necessariò virtutes omnes, si perfectæ sint, inter se connexæ sunt. Idque vinculo prudentiæ. Nam neque virtus esse perfecta potest, sine prudentia; neque prudentia sine virtute. Ex quo sequitur, ut ipsæ quoque virtutes, cùm perfectæ sunt, necessariò copulatæ sint.

4. Pietas est virtus Deum religiosè ritèque colendi. Quid autem sit Deum ritè colere, non ex *Aristotele* qui admodũ parcè pietatem interpretatus fuit, sed ex *Pythagoricorum, Platonicorum*, aliorũmque humanæ sapientiæ consultorum scriptis, qui plura de pietate tradiderunt, delineandum est quantum id illucente rationis nostræ face, ac naturali

turali lumine fieri potest.

5. Pietatem, aut saltem religionem qualemcunque ipsa natura hominum animis inserit. Hæc enim communis notio, *Deum esse*, ubivis gentium se exerit, & religionis studium tam vehemens producit, ut homo, quamvis ægerrimè se aliis submittit, lapidem potiùs colat aut lignum, quàm us prorsus sit sine religione.

6. Pietas, religióque nascitur ex numinis prævia notitia: & prout hæc notitia, vel vera est, vel falsa, ita quoque religio vel pietas est, vel superstitio atque idolotria. Quare cùm Apostolus Gentiles reos agit temeratæ pietatis, iisque justam damnationem denunciat, hæc duo conjungit, τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, id est, *quod de Deo cognosci potest*, inter ipsos manifestum est; &, ἐσκοτίσθη, id est, *obtenebratum est* desipiens eorum cor: ut innuat, & Deum non posse ritè coli sine vera notitia, & ideò non fuisse ritè cultum à gentibus, quia animi pravitas notitiam de Deo corruperat.

7. Tria sunt potissimùm in Deo agnoscenda, ex quibus intelligi potest, illi jus competere exigendæ ab hominibus pietatis, & religionis; ὑπεροχὴν, id est, *eminentia*, bonitas, & justitia.

8. Quod Deo pietatem deberi dicimus ob eminentiam, & iis, quæ in natura & ordine mundi, in homine, atque in societate humanâ

manâ conspiciuntur, firmo argumento comprobatur. Primum enim videmus in hac visibili naturâ imperfectiora perfectioribus inservire; elementa, mistis corporibus; mista corpora, plantis; plantas, animantibus, animantia, & cætera omnia, homini. Deinde ἡ μὲν ψυχὴ τοῦ σώματος ἄρχει, δεσποτικὴν ἀρχὴν ὁ δὲ νοῦς τῆς ὀρέξεως πολιτικὴν καὶ βασιλικήν. Id est, *Animus in corpus, herile imperium obtinet: mens in appetitum, polliticum ac regium.* Præterea mas naturâ suâ præstantior est fœminâ ideòque ille, imperare; hæc, parere debet. Postremò, qui cæteris hominibus tantò inferiores atque deteriores sunt, quantò bestiæ deteriores sunt homine, corpus animo, appetitus mente, aut fœmina mare; hi naturâ sunt eorum servi, iisque melius est aliorum imperio subesse *lib. 1. Polit. cap. 5.* Quæ cùm ita sint, an non homines fateri debent, necesse esse, sibique utilissimum, ut sapientissimo & optimo Deo serviant, hoc est, eum piè ac religiosè colant? Ipse Epicurus, qui quamvis docere Deum οὔτε πράγματα ἔχειν, οὔτε παρέχειν id est, *neq; ipsum habere negotii quicquam, neque aliis exhibere,* judicavit tamen, ut *Cicero* retulit *lib, 1. de Nat deor.* tam eximiam esse, ac præstantem Deorum naturam, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam allicere sapientem.

9. Bonitas Dei ac beneficentia, quàm multas

multas & urgentes causas suppeditat religionis? Deus nos fecit, nos conservat, nos fovet ac gubernat; & omnia fecit, conservat, fovet, ac gubernat in in nostrum usum. Summa erit ingratitudo, horum beneficiorum magnitudinem non agnoscere.

10. Consideratio divinæ justitiæ hoc modo pietatem excitat. Pietas justitia quædam est (*ut ait Cicero l. 1. de Nat. Deor.*) adversus Deos: dicamus nos, adversus Deum. Ex quo sequitur, in justum esse eum, ac proinde justas pœnas expectare à justo Deo, qui pietatis debitum, hoc est, religiosum cultum ei non persolvit.

11. Cultus Dei aut internus est, & in animo consistit; aut externus, atque etiam corpore exercetur.

12. Cultus internus constat amore, & timore, sive reverentiâ. Amandus est Deus quia ipse optimus est, ipsúmque summum bonum, & omnia bona nobis largitur: timendus, quia omnia novit, omnia pervidet, providet, ac regit.

3. Timere ac revereri Deum, nihil est aliud, quàm omni studio cavere, ne peccatis nostris eum offendamus, ejúsque iram in nos provocemus. Pertimescite Deos ô filii (inquit *Cyrus* apud *Xenophontem lib. 8. Cyrop.*) ut nihil impii, nihil nefarii comittatis, vel deliberetis.

14. Cultus externus est precatio: de qua *Cicero. lib. 2. de nat. Deor.* Cultus deorum optimus est, idêmque castissimus, & sanctissimus, pleniſſimúsque pietatis, ut eos semper purâ, integrâ, incorruptâ, & mente & voce veneremur. In quibus verbis, si pro *cultu*, Dei scripsisset, quid posset Christianus desiderare?

15. Precationis species sunt, petitio, & gratiarum actio. Petendum est á Deo, non solùm ut nobis necessaria largiatur, sed etiam ut delinquentibus nobis ignoscat, & mala, quæ ob peccata nobis imminent, avertat. Hæc deprecatio dicitur.

16. Non quælibet à Deo petenda sunt, sed ea, quæ & ἁπλῶς bona sunt, & nequeunt nobis malè cedere *lib. 5. Eth. cap. 1.* Verùm quia ipsi ferè ignoramus, quid nobis utile sit, aut inutile; aut generalis formula instituenda est; qualis est illa veteris poëtæ apud *Platonem Alcibi. 2.* Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις Ἄμμι δίδου τὰ δ' ἐεργὰ καὶ εὐχομένοις ἀπάλεξον. Id est, *Jupiter rex, optima quidem & voventibus & non vovemibus nobis tribue, mala etiam à voventibus averte.* Neque aliter Deos precabatur *Socrates*, quàm ut bona largirentur; quòd illi optimè scirent, cujusmodi res essent bonæ; *Xenoph. lib. 1.* ἀπομν. Aut petendum, ut ea sensiamus loquamur, & agamus, quæ & ipsi

Deo

Deo grata sunt; nobis, amicis, ac Reip salutaria, & honorifica. *Xenoph* ἱππάρχ.

17. Gratias esse Deo agendas pro acceptis beneficiis, & ratio facilè dictat, & Ethnici crediderunt. Si luscinia essem, inquit *Epictetus* facerem quod luscinia: cùm autem homo sim, quid faciam? laudabo Deum, nec cessabo unquam. In *Rom Rep.* frequentissimum erat Diis supplicationem decerni quoties res feliciter cessissent, aut urbs esset ab imminente calamitate liberata.

18. In deprecatione ab Ethnicis adhibita ferè fuêre sacrificia quædum, aut lustrationes, quibus iratum numen censebant placari. Hæc enim opinio omnium hominum animis infixa est, delictis offendi, & irasci numen: ex hac irâ sequi calamitates, tum publicas, tum privatas: Deum victimis placari, & calamitatem averti, si rectè instituantur. Quæ quidem arguunt, rectè illos existimâsse, non posse solis precibus, sine ulla satisfactione placari numen: sed veram rationem satis faciendi, & usum sacrificiorum ignorârunt.

19. Pieaas non prima tantum virtutum est, sed & dux cæterarum & fundamentum. Maxima enim illius vis est ad homines in officio continendos: nam qui ratione moveri non possunt, religione tamẽ moventur. Pietate autẽ sublatâ, inquit *Cicero*, fides etiã, societa

humani generis, & unà excellentissima virtus justitia (imò omnis probitas) tollitur: *lib. 1. &c. Nat. Deor.*

20. Pietati in excessu opponitur δεισιδαιμονία sive superstitio: in defectu, impietas.

21. Superstitiosi dicuntur, qui nimis anxiâ curâ omnia â numine, imò omnia pro numine, metuunt, & quidlibet comminiscuntur ad placandum numen, quod semper sibi iratum esse existimant: quare semper idololatria, & ἐθελοθρήσκεια, cum superstitione conjuncta est, *vid. plut.* περὶ δεισιδαιμ.

22. Impii contrà dicuntur, qui nullo pietatis ac religionis sensu tanguntur, quia censent, vel non esse Deum, vel non affici curâ rerum humanarum.

23. Hæc ferè ex Philosophis hauriri possunt de pietate præcerpa: quæ, quàm mutila sint, præ iis quæ in S. Literis de pietate præcipiuntur, cuivis Christianorum facilè est intelligere. Qui enim potuerint illi pietatem rectè docere, quorum alii plures Deos habuerunt, alii unum quidem Deum professi sunt, sed qualis ille sit, non noverunt, ne quidem quantum satis est ad pietatem. Omnes ergò patrias religiones præ cæteris commendantes, à vero modo colendi Deum quàm longissimè aberrarunt. Quidni? nam animalis homo non capit ea quæ sunt Stpiritûs

Dei.

Dei. 1. *Cor.* 2. 14.

24. Est tamen aliquod operæ pretium in philosophorum libris annotare, & excerpere, quæ illi de pietate ac religione præciperunt, ut intelligamus, quàm longè, imò quàm non longè possit homo in pietatis ac religionis doctrinâ progredi, sine supernaturali lumine. Si in maximis illis hominibus scintillæ fuerunt, imò umbra tantùm pietatis, quid statuendum erit de nobis, quàm ipso Deo doctore opus esse, & illius Spiritu, qui nos ducat in omnem veritatem?

CAP. XIV.

De Fortitudine.

§. 1.

Vit pietas; sequitur probitas, quæ complectitur omnes virtutes, quibus hominis officia, vel erga seipsum, vel erga alios homines continentur, atque gubernantur.

2. *Cicero* quatuor facit virtutum familias, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperantiam. Ex harum enim partium aliquâ

aliquâ oritur, quicquid inter homines honestum est, *lib. 1. off.* Vulgò virtutes hæ vocantur Cardinales. Ex his prudentia præ est dirigendæ rationi, versatúrque in veri perspicientia solertiáque. Reliquæ præsunt appetitui. Appetitus, vel circa nostra versatur, vel circa aliena. Cùm circa nostra versatur, dirigitur à Fortitudine vel Temperantia: ab illa, in rebus adversis, & ingratis; ab hac, in rebus secundis & jucundis: cùm versatur circa aliena, dirigitur à Justitia.

3. Hæc divisio non est quidem contemnenda; sed tamen qui non satis liquet, quâ ratione reliquæ virtutes ad has familias referri debeant; quia etiam prudentia cum virtutibus moralibus confunditur, tutiùs erit *Aristotelem*, sequi, qui singulas virtutes recensèt, & suo ordine explicat.

4. Etsi non magnoperè laborandum sit de ratione ordinis, quem *Aristoteles* servavit in virtutibus enumerandis, videtur tamen aliqua illius ratio reddi posse non incommoda. Virtus enim vel nos dirigit in ordine ad nos ipsos, vel in ordine ad alios, hoc est, efficit ut nihil faciamus, quod sit nobis ipsis inconveniens, vel aliis noxium. Virtus, quæ nos dirigit in ordine ad nosmetipsos vel circa affectus versatur, vel circa conservationem. Affectus virtute dirigendi præcipuè tres sunt, metus, cupiditas, & ira. Circa metum versatur fortitudo.

fortitudo. Cupiditas vel in voluptatibus cernitur, vel in divitiis, vel in honore. Circa cupiditatem voluptatum versatur temperantia: circa divitias & sumptus mediocres, liberalitas; circa magnos, magnificentia: circa honores magnos, magnanimitas: circa mediocres, modestia. Circa iram versatur mansuetudo. In conversatione vel veritas spectatur, vel jucunditas: veritatem spectat veracitas: Jucunditatem, in seriis ac totâ vitâ, comitas; in Jocis, urbanitas. In ordine ad alios nos dirigit justitia: atque ea vel universalis, vel particularis: illa nos dirigit ad bonum publicum totius civitatis; hæc, ad bonum privatum singulorum civium.

5. Fortitudo hoc loco non est virtus corporis, quam robur Latinè nuncupamus, sed animi. Græci ἀνδρείαν vocant ἀπὸ τῦ ἀνδρὸς, id est, *à viro*. Hæc enim virtus viro ferè peculiaris est, & raro cadit in fœminas. Pendet enim à temperamento sicco, & calido, & corde compacto, solido, ac spirituoso, quæ rara sunt in fœminis.

6. Fortitudo est virtus servans mediocritatem in metu & fiduciâ.

7. Differentiæ specificæ virtutum, ab objecto, ut dictum est, petendæ sunt, vel interno, vel externo. In hac definitione objectum internum expressum est, metus & fiducia. Objectum externum est τὸ φοβερὸν καὶ τὸ θαρραλέον,

θαῤῥαλέον, i.e, *quod metū incutere; aut confidentiā adferre solet.* Circa utramque versatur fortitudo: sed præcipuè circa metum. Metus enim versatur circa mala: fiducia, circa bona. Atqui difficilius est, ideóque fortitudini magis consentaneum. τὰ λυπηρὰ ὑπομένειν, ἢ τῶν καλῶν ἀπέχεσθαι. Id est, *res molestas ferre; quàm à secundis abstinere. lib. 3. Ethic. ca. 9.*

8. Quicquid metum incutit, malum esse debet. Et quamvis omne malum ita comparatum sit, ut metum incutere possit, fortitudo tamen in omni malorum genere non conspicitur, *l. 3. Et. c. 6.*

9. Mala sunt duorum generum: quædam inhonesta, quædam tristia. Mala inhonesta dicuntur peccata, & quæcunque ex peccatis nascuntur, nostráve culpâ contrahuntur. Hæc vir bonus haud dubiè metuere debet. Qui enim ea contemnit, tantùm abest ut fortis sit, ut improbus potiûs, atque impudens debeat appellari, *lib. 3. Eth. cap. 6.* Hęc causa videtur fuisse quibusdam ex antiquis, ut fortitudinem φόβον ψόγου καὶ δεὸς ἀδοξίας definirent; id est, *metum reprehensionis & timorem infamiæ.* Nam qui timidi sunt adversus leges, confidentes sunt adversus hostes: καὶ τὸ παθεῖ ἥκιστα δεδιάσιν, οἱμάλιστα φοβούμενοι τὸ κακῶς ἀκούσαι. Id est, *minimè metuunt mala pati, qui maximè metuunt malè audire. Plut. in Agid.*

10. Malorum

10. Malorum tristium quædam sunt ὑπὲρ ἄνθρωπον, quædam κατ' ἄνθρωπον. ὑπὲρ ἄνθρωπον dicuntur, quæ humanam conditionem ac vires superant, ut prodigia, terræ-motus, inundationes, & id genus alia. Sed neque in his est occupata fortitudo: nam quia neque sibi gloriam pariunt, neque cuiquam utilitatem adferunt, qui horum malorum mole opprimuntur, necesse est ab omnibus ea metui, qui sanæ mentis sunt: & insani, imò etiam athei sunt, qui hisce malis intrepidè se objiciunt. *lib.* 3. *Eth. cap.* 7.

11. Mala tristia κατ' ἄνθρωπον dicuntur, quæ, etsi hominem terrere possunt, humanas tamen vires non superant: atque hæc iterum vel leviora sunt, ut jactura pecuniæ, morbus, exilium; vel graviora, ut pericula, mors. Hæc omnia quidem viro forti intrepidè ferenda sunt, si suâ sibi culpâ non obveniant; qui tamen in levioribus illis ἄφοβον se præstat, si nihil aliud accedat, non fortitudinis, sed aliarum potiùs virtutum, puta liberalitatis, modestiæ aut mansuetudinis, laudem hoc nomine meretur: sicut ex adverso avari, ambitiosi, aut iracundi sunt, quia ea supra modum metuunt. Vera enim fortitudo in maximis tantùm malis conspicitur: *l.* 3. *Eth. cap.* 7. Non tamen in omnibus, sunt enim quædam, etiam ἐκ τῶν κατ' ἄνθρωπον, quæ sine improbitate, atque impietate non possunt contemni:

ut

ut ignominia, ac contumelia, quæ nobis ac noſtris immerentibus inferuntur item calamitas aut excidium patriæ, everſio religionis, & id genus alia,

12. Malorum omnium maximum, ac terribiliſſimum eſt mors: nempe ſi ea in ſe conſideretur: ſi vero conſideretur in ordine ad vitam futuram, cujus reſpectu hæc noſtra vita mera mors eſt, ne in malis quidem numeranda eſt. Mors in ſe terribilis eſt, quia τὸ πέρας eſt, id eſt, *extremum* atque ultima linea rerum ad civilem vitam pertinentium. Nam τῷ τεθνεῶτι οὐδὲν ἔτι δοκεῖ, ὅτε ἀγαθὸν, ὅτε κακὸν εἶναι. id eſt, *mortuo nihil reliquum videtur eſſe* (ex iis ſcilicet quæ civilem felicitatem ſpectant) *neque bonum, neque malum. lib. 3. Eth. c. 6.* Fortitudo igitur præcipuè conſiſtit in mortis periculis adeundis, ac ſuſtinendis.

13. Sed cùm mors multis modis obvenire poſſit, ut in bello, ex naufragio, ex morbo, ex ſupplicio, aut alio aliquo modo; fortitudo maximè relucet in periculis ac morte bellicâ: quę quia pro religionis, pro libertatis, pro patriæ, parentum, ac liberorum defenſione oppetitur, pulcherrima eſt, atque honeſtiſſima *lib. 3. Eth. cap. 6.* Huc referri debet mors eorum qui injuſtâ damnati ob profeſſionem veræ religionis, magno animo mortem ferunt, ut Martyres.

14. In cæteris mortis, ac periculorum generibus

generibus, ut in tempestate, in morbis, vir fortis ἀδεὴς quidem, i.e. *sine metu* est etiam tum, cùm de salute suâ desperat. veruntamen τὸν θάνατον τοιοῦτον δυσχεραίνει id est, *ægrè fert, talem sibi mortem oppetendam esse*, quæ nec aliis utilitatem adfert, nec sibi gloriam. *l.* 3. *Eth. c.* 6.

15. Officium viri fortis est, intrepidè adire, & constanter sustinere pericula: sed ea solùm, quæ honesta sunt, hoc est, quæ Reip. vel facto, vel exemplo sunt profutura, & ipsi laudem ac gloriam paritura qui ea adit; idque prudenter, hoc est, ubi, quando, & quomodo decet; atque honestatis tantùm causâ *lib.* 3. *Et. cap.* 7.

16. Ex hoc theoremate multa consequuntur: Ac primò, non esse fortes, qui sibi ipsi. desperatione quâdam ac vitæ tædio violentas manus inferunt. Non enim fortium virorum est, ut ait *Curtius*, odisse vitam, sed contemnere mortem. Quin potiùs timidi sunt, qui magnitudine mali imminentis deterriti, in voluntariâ morte mali quærunt aut remedium aut compendium. Præterea injurii sunt in Remp. quam aliquo membro defraudant, quum se inutili ac non necessariæ morti dedunt. *l.* 3. *Eth. cap.* 7. Sed quid si magistratus aliquem damnet ad αὐτοχειρίαν? legi naturæ potiùs parendum est, quàm magistratui id quod naturæ contrarium est, præcipienti.

17. Inter αὐτοφόνους damnandi non videntur

tur nautæ, qui igne in pulverem tormentarium conjecto, se ipsos simul cum hostibus occidunt, si publicâ autoritate muniti sint, nullâque appareat spes victoriæ, & patriæ, cui militant, bonum potiùs spectent, quod in ruina hostium consistit, quàm malum, quod in hostium potestatem venientibus perferendum foret.

18. Secundò sequitur, non esse fortes qui duello congrediuntur, neque ignavos, qui provocati, duello sese non sistunt: in quo, vincere non est utile Reip. vinci etiam damnosum. In hoc numero non sunt sensenda duella, quæ ex publico pacto ad bellorum compendium indicuntur. Nam etsi non satis videatur tutum, belli fortunam uni alterive committere; si tamen ita consultum videatur iis, penes quos est summa potestas, non sunt fortitudinis laude fraudandi; qui ejusmodi duella aggrediuntur, & pro viribus sustinent.

19. Tertiò sequitur, non esse verè fortes, sed tantùm κατ' ὁμοιότητα, qui nullâ habitâ, aut etiam posthabitâ ratione honestatis, pericula subeunt, ac sustinent, aut gloriæ studio, probrive, ac pœnæ metu, quæ fortitudo civica dicitur; aut ità, libidine, alióve affectu concitati, quæ fortitudo διὰ θυμὸν aut διὰ παθος appellatur. Multò minùs eos, quos vel rei militaris peritia, vel certa spes victo-

riæ

ctię vel ignorantia periculi in aggreſſu facit confidentiores. Hi enim omnes pericula contemnunt, non quia honeſta ſunt, ſed quia exiſtimant, ea ſibi parùm aut nihil nocitura. Ideóque ſi fortè intelligunt pericula eſſe opinione ſuâ majora, animum deſpondent, & fugiunt, niſi neceſſitate quâdam adigantur ad pugnandum, aut ſpe deſtituantur ſibi per fugam conſulendi: *lib.3.Eth.cap.8.*

20. Quartò ſequitur, non eſſe fortes qui ſtipendii præcipuè causâ aut ſpe prædæ militant, causâ belli ſúſque déque habitâ. Etenim cauſa bellum licitum facit, & honeſtum: quare qui lucrum præcipuè ſpectant, iis finis non poteſt eſſe honeſtus, ideóque ne ipſi fortes ſunt. Ejuſmodi tamen milites utiliſſimi in bello ſunt; quia prompti paratique ſunt ad pericula ſubeunda, τὸν βίον πρὸς μικρὰ νέμοντα καταλλάττονται. Id eſt, *vitam exiguo quæſtu permutant lib.3.Eth.cap.9.*

21. In adeundis ac ſuſtinendis mortis periculis, vir fortis non vacat omni metu, inſtar furioſorum, & mente captorum, qui pericula contemnunt, quia non cognoſcunt: ſed ἀνέκπληκτός ἐστιν ὡς ἄνθρωπος. Id eſt, *imperterritus eſt ut homo.lib.3. Eth.cap.7.* Periculà enim illi, ἢ μὲν ἄνθρωπος, φοβεῖσθαι, ἢ δ' ἀνδρεῖος, οὐφοβεῖσθαι, ἀλλ' ἤρεμα, ἢ κατὰ λόγον. Id eſt, *quà homo eſt, terribilia ſunt; quà fortis, aut parùm terribilia ſunt, aut nullo modo lib.3.Eud. cap.1.*

cap. 1. Etenim mors & vulnera viro forti per se quidem molesta sunt, invitóque accidunt; imò mors tantò magis invito accidit, quantò melior est, ac beatior, eóque vitâ dignior: nam μεγίστων ἀγαθῶν ἐπιστερεῖται εἰδώς. Id est, *maximis bonis novit se spoliari.* Quia tamen finis fortitudinis ipsâ honestate jucundus est, non tantùm illa constanter fert, sed etiam lætatur conscientiâ suorum factorum, & gloriæ factis suis debitæ. *lib.* 3, *Eth. cap* 9. Et in hoc, elucet excelsus animus, quòd cùm molestum, ducat tot bonis spoliari, non detrectet tamen pericula aut mortem ipsam boni publici causâ adire.

22. Pericula vel subita sunt, vel prævisa: utrobíque quidem fortitudine est opus: attamen ἀνδρειοτέρου εἶναι δοκεῖ τὸ ἐν τοῖς ἀκφνιδίοις ἄφοβον, καὶ ἀτάραχον εἶναι, ἢ ἐν τοῖς προδήλοις. Id est, *fortitudinis laudem magis mereri videtur is, qui in repentinis metu vacuum átque imperterritum se præstat, quàm qui in prævisis.* Ea enim animi constantia, quæ minus habet præparationis, magis est ab habitu. *lib.* 3. *Eth. cap.* 8.

23. Fortitudini duplex excessus opponitur, & duplex defectus; alter in metu, alter in fiducia. Defectus in metu proprio nomine caret, docendi causâ vocari potest ἀναλγησία. id est, *indolentia:* excessus in metu appellatur δειλία: eodémq; nomine significatur

tur defectus in fiducia; Latinè *timiditas* dicitur, & *ignavia*: excessus in fiducia vocatur θρασύτης, id est, *audacia*: *lib. 3. Ethic. cap. 7.* Quanquam cùm de effectibus agitur, audacia non vitiosum habitum, sed speciem effectûs donotat, ut suo loco diximus.

24. Ignavi ac meticulosi, aut metuunt quæ metuenda non sunt, aut nimis metuunt, quæ metuenda sunt, mediocriter. Ideóque vel detrectant omne periculorum genus; vel si quæ subeunt, non ferunt satis constanter; sed fugiunt, ac deserunt officium. Ἀνάλγητοι planè nihil metuunt, ne illa quidem, quæ metuere, vel non est turpe, vel etiam honestum. Audaces temerè sese in pericula conjiciunt, idque ut fortes esse videantur, cùm non sint. Quare etiam arrogantes sint: & quia in omnibus non possunt imitari virum fortem, sæpè incœptum deserunt: unde & θρασυδειλοι vocantur, hoc est *audaces simul & ignavi: lib. 3. Eth. cap. 7.*

CAP. XV.

CAP. XV.

De Temperantia.

§. 1.

TEmperantia, *Græcis* σώφροσυνη dicitur quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, Id est, *conservans prudentiam.* Voluptas enim & dolor corrumpunt τὰς περὶ τὸ πρακτὸν ὑπολήψεις, Id est, *opiniones, quæ spectant id, quod sub actionem cadit.* Nam cùm animus voluptate, aut dolore correptus est, non cernit finem, cujus gratiâ αἱρεῖσθαι μάντα δεῖ καὶ πράττειν. Id est, *omnia eligenda & agenda sunt. lib. 6. Eth. cap. 5.* quod certè insigne, argumentum est imprudentiæ. Quare cùm temperantia voluptatem, dolorémque moderetur, ne possit mentis judicium pervertere, meritò *custos prudentiæ* nuncupatur.

2. Temperantia est virtus servans mediocritatem in expetendis, & fruendis iis rebus, quæ gustum tactùmve aliquâ voluptate afficiunt.

3. Differentia temperantiæ petita est, partim ab objecto interno, partim ab exter-

no:

no: objectum internum est cupiditas; externum, voluptas, aut potiùs ea quæ voluptatem adferunt. Temperantia enim non eo tantùm modo, quo reliquæ virtutes, voluptatem spectat, nempe quatenus comes est affectuum, & operationum nostrarum, sed etiam, quatenus animo proposita, sui consequendi, ac fruendi cupiditatem in illo excitat.

4. Temperantia non solùm circa voluptatem, sed etiam circa dolorem occupata est, hoc est, circa ea quæ dolorem adferunt. Nec tamen hâc in parte cùm fortitudine convenit. Nam fortitudo versatur circa dolorem ἐπὶ τῇ ἀπουσίᾳ τῶν λυπηρῶν, *quum ingruunt molesta* temperantia, ἐπὶ τῇ ἀπουσίᾳ τῶν ἡδέων, id est, *quum non obtingunt res jucundæ. lib. 3. Eth. cap. 11.*

5. Temperantia non versatur circa omnes voluptates promiscuè: nam περὶ τὰς ἡδονὰς ψυχικὰς, οὔτε σώφρονες οὔτε ἀκόλαστοι λέγονται. I. e, *qui animi voluptatibus dediti sunt, neq; temperantes, neq; in temperantes appellantur. lib. 3. Eth. cap. 10.* Nimirum, quia hæ voluptates non sunt excessu vitiosæ, sed quò majores eò meliores, ut 9. cap. dictum est. Quod si cui interdum noxiæ sunt (veluti siquis præ nimio ardore discendi res mathematicas, alia quædam negligat magis necessaria) fit id haud dubiè per accidens.

6. Non versatur etiam temperantia per

se

se circa voluptates, quæ ex visu, auditu, atque odoratu percipiuntur. Nam ne ii quidem, qui hisce dediti sunt per se temperantes dicuntur aut intemperantes *l.* 3. *Eth. c.* 10. Neq; etiam excessus hic cavendus est, quasi per se vitiosus sit, sed hactenus tantùm, ne impediat actiones eas, quæ per se bonæ sunt, & sine culpa non possunt omitti.

7. Relinquitur ergò, temperantiam solùm versari circa voluptates eas, ὧν καὶ τἆλοι. πάζῶα κοινονοῦ, Id est, *quæ nobis cum reliquis animantibus communes sunt.* Nimirum quæ ex gustu, & tactu percipiuntur *lib.* 3. *Eth. cap.* 10. Hæ enim, quia serviles sunt, ac belluinæ, ipso excessu per se vitiosæ sunt, ideóque virtute moderandæ.

8. Circa voluptates ex visu, auditu, ac tactu, temperantia versatur per accidens, quatenus scilicet memoriam refricant, aut spem faciunt earum voluptatum, quæ ad gustum aut tactum directè spectant *lib.* 3. *Eud. cap.* 2. Nam etiam belluæ voluptatem ex hisce sensibus hoc modo percipiunt: per se non item. *lib.* 3. *Eth. cap.* 10.

9. Gustus sapores judicat, tactus percipit ac fruitur. Quare videtur temperantia circa tactum magis, quàm circa gustum versari. *lib.* 3. *Eth. cap.* 13. Imò videtur τῇ μὲν δόξῃ περὶ δύι τῶν αἰσθῆσιν, περὶ τὴν τὸ γεῦστο, καὶ τὸ ἁπτὸν τῇ δ' ἀληθείᾳ, περὶ τὸ ἁπτόν. Id est,

opinione

opinione quidem esse circa objecta duorum sensuum, gustûs & tactûs, sed reverà, circa objectum tactûs. lib 3. Eud. c. 2. Intemperantes enim ὐ πανυ χαίρουσι τῇ κρίσει τῶν χυλῶν, ἢ ὐχ ἀλλὰ τῇ ἀπολαυσει, ἢ γίνεται πᾶσα δι' ἀφῆς. Ide st, *non admodum delectantur saporum judicio, aut planè non: sed fruitione quæ tota in tactu efficitur.* Ideoque *Philoxenus* quidem sibi optabat collum haud minùs longum, quàm collum gruis, ὡς ἡδόμενος τῇ ἀφῇ, id est *quia delectabatur tactu, lib. 3. Eth. cap* 10.

10. Sed in voluptatibus ad tactum pertinentibus discrimen constituendum est. Sunt etiam aliæ liberales, aliæ serviles ac belluinæ, liberales sunt, quæ ex frictione, aut califactione percipiuntur, quæque per totum corpus sparsæ sunt, quæ hinc exceptæ debent intelligi. Quare efficitur proprium temperantiæ objectum esse voluptates serviles, quæ tactu in determinatis corporis partibus, ex cibo, potu aut venere per cipiunt. *lib. 3. Et. c.* 10,

11. Officium viri temperantis est, illicitas, & in honestas voluptates aversari, licitas moderatè appetere, ac frui eo, quo oportet, modo; & non immoderatè dolore, si fortè ne licitis quidem voluptatibus frui licet. Licitæ voluptates sunt, quæ conducunt ad sanitatem, ἢ πρὸς ἐυεξίαν, i.e. *ad bonam corporis habitudinem*, quæq; non sunt ὑπερ' τὴν ὐσίαν, ἢ

τὸ καλὸν, id est, *supra modum rei familiaris, aut præter decorum. l. 3. Eth. cap.* 11. Adeóque quæ neque divinâ, neque civili lege prohibitæ sunt.

12. Temperantiæ in excessu opponitur ἀκολασία id est, *intemperantia:* defectus proprio caret nomine, διὰ τὸ μὴ πάνυ γίνεσθαι. id est, *quia pauci reperiuntur qui in defectu peccant*, Si cui enim nihil fuerit jucundum, nihilque differre alterum ab altero videatur, ἀναίσθητος ἂν εἴη, καὶ πόῤῥω τοῦ ἀνθρώπου εἴη. id est *is profectò stupidus fuerit, & ab humanitate remotissimus. lib. 3. Eth. cap.* 11.

13. Vocabulum ἀκόλαστος à pueris aptissimâ similitudine translatum est ad intemperantes. Nam quemadmodum puer ὁ μὴ κολαζόμενος, Id est *qui non castigatur*, cupiditatem potiùs, quàm pædagogum sequitur ducem, ira quoque, nisi τὸ ἐπιθυμητικὸν à ratione castigetur ac coërceatur, sensim vires acquirit, & primò contra rationem insurgit, eamq; tandem elidit, atque evertit, suóque vivit arbitratu, ut fieri solet in intemperante. *lib. 3. Eth cap.* 12.

14. Intemperans, & in voluptate peccat, & in dolore; ἀναίσθητος, in voluptate tantùm. Intemperans enim voluptatibus invitus caret; ἀναίσθητος, sûapte sponte. Ideóque intemperans peccat, & quia omnes voluptates promiscuè expetit, iísque nimis cupidè fruitur,

itur, & quia nimis dolet, si desideratis voluptatibus non potest frui. At ἀναίσθητος solummodò peccat, quia omnes voluptates aspernatur. Non potest autem peccare in dolore, quem fortè capiat ex usu voluptatis; quia voluptas nemini invito obvenire, ac proinde, neque dolorem adferre potest.

15. Voluptas in unoquoque desiderium sui, & cupiditatem excitat. Id enim quisque expetit quod sibi jucundum est. Cupiditates vel naturales sunt, & toti speciei communes, ut cupiditas cibi, potûs & veneris: aliæ adventitiæ & unicuique peculiares, ut cùm quis hunc vel illum cibum, potum, aut venerem expetit. Non enim omnes eodē cibo aut potu capiuntur, sed alius alio. *l.* 3. *Eth. c.* 11. Hinc sequitur, voluptates, alias cōmunes esse alias proprias ac peculiares, ut *c.* 9. dictum est.

16. In cupiditatibus, ac voluptatibus naturalibus ὀλίγοι ἁμαρτάνουσι, καὶ ἐφ' εἷ, ἐπὶ τὸ πλεῖον. Id est, *pauci peccant, atque id uno modo*, nempe *in excessu*. Non enim peccant, qui cibi & potûs tantum sumunt, quantum satis ad sedandum famen, aut sitim: at edere aut bibere quæcunque offeruntur, ἕως ἂν ὑπερπλησθῆς, id est *donec plenior sis, quàm naturæ necessitas postulat*, nihil aliud est, *quàm* ὑπερβαλλειν τὸ κατφύσι τῷ πλήθει. id est, *modum naturæ convenientem copiâ superare. liq.* 3. *Eth. cap.* 11. Hujusmodi homines appellantur, γα-

γειμαργοι, id est, *belluones, gluttones, comedones, ventres.*

17. In cupiditatibus ac voluptatibus propriis πολλοὶ καὶ πολλαχῶς ἁμαρτάνουσι. Id est, *multi peccant & multis modis.* Intemperantes enim ὑπερβάλλουσι τῷ χαίρειν οἷς μὴ δεῖ, ἢ τῷ μᾶλλον, ἢ ὡς οἱ πολλοί, ἢ μὴ ὡς δεῖ, ἢ ὧν μὴ δεῖ id est, *modum superant, vel quòd iis rebus delectentur quibus non oportet, vel quòd nimium delectentur, vel quòd ita ut vulgus, vel quòd non ita ut oportet, vel quòd non quâ parte oportet,* & si quæ aliæ circumstantiæ in fruendis voluptatibus observandæ sunt *l. 3. Et. c. 11*

18. Intemperans omnia, quæ jucunda sunt, aut certè quæ jucundissima sunt, ita avidè concupiscit itaque; à suâ cupiditate trahitur, ut illa omnibus rebus habeat potiora. Διὸ καὶ λυπεῖται, καὶ ἀπολυγχάνων, καὶ ἐπιθυμῶν καὶ λύπης. δεῖ ἡ ἐπιθυμία. Id est, *Ideò dolore angitur, & cùm voluptatibus potiri non potest: & cum eas concupiscit: semper enim cupiditas cum dolore conjuncta est. l. 3. Eth. cap. 11* Atque hàc etiam in parte modum excedit.

19. Intemperantia deterior est ignaviâ, & timiditate. Primò, quia actiones singulares, quibus comparatur temperantia, magis sunt voluntariæ, quàm quibus comparatur fortitudo: illę enim circa voluptates versantur, hæ circa dolores: quorum illæ optabiles sunt hæ verò fugiendæ. Deinde, quia facilius est,

est voluptatibus moderatè expetendis & perfruendis, quàm periculis intrepidè adeundis, ac sustinendis assuefieri: illud enim crebras habet occasiones, & sine periculo; hoc raras, & cum periculo conjunctas. *lib.* 3. *Eth. c.* 12.

20. Temperantia dividitur in frugalitatem & castitatem. Frugalitas est temperantia in cibo aut potu: quę in cibo est, abstinentia quę in potu sobrietas consuevit. Quanquam hæc vocabula sæpè confunduntur

21. Frugalitati in excessu opponitur voracitas, & ebrietas; illa in cibo, hæc in potu: in defectu, nimia à cibo, vel potu abstinentia. Voraces, aut ebrii sunt, qui quantitate cibi aut potûs, corpus onerant, & mentem impediunt, majorémque suavitatis, quàm sanitatis, aut facultatum suarum rationẽ habent: abstinentia non est vitiosa, nisi cùm est noxia.

22. Càstitas est temperantia in venere, & rebus ad venerem spectantibus: ut sunt colloquia, gestus, basia, & id genus alia.

23. Castitas vel in conjugio servanda est, vel extra conjugium, in conjugio modus est adhibendus in venere: extra conjugium omnis venus illicita est.

24 Castitati in excessu opponitur libido, & impudicitia; in defectu, nimia à venere abstinentia. Libido in animo est; impudicitia in verbis, gestibus, & actionibus. Utraq; cum habet, tum inter conjugatos, tum inter

cœlibes. Conjuges non solùm libidinosi aut impudici sunt, cùm violant leges communis tori; sed etiam cùm petulanter inter se conflictantur. Abstinentia à venere in conjugatis tantùm, non in cœlibe, potest esse vitiosa.

CAP. XVI.

De Liberalitate, & Magnificentia.

§. 1.

LIberalitas à libero dicta (non quia liberis debetur, sed quia à libero animo profiscitur) definitur virtus servans mediocritatem in appetendis, dandis, & accipiendis pecuniis.

2. In hac definitione externum, & internum liberalitatis objectum expressum est. Objectum externum sunt χρήματα. Id est, *pecunia*. χρήματα vocantur ea omnia, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. Id est, *quorum æstimationem nummus metitur. lib. 4. Eth. cap. 1.* Objectum internum est pecuniæ cupiditas.

3. Officium liberalitatis in dando, & in accipiendo positum est; præcipuè tamen in dando. Primò, quia liberalitas in usu magis quàm

quàm in possessione posita est: atqui dare ad usum, accipere ad possessionem spectare videtur. Secundò, quia virtutis magis est τὸ δ' ποιεῖν, ἢ τὸ δ' πάσχειν, id est, *benè de altero mereri quàm beneficio affici*; (illud enim honestum est, hoc utile. *lib.* 8. *Ethick. cap.* 13.) Et, τὰ καλὰ πράττειν, ἢ τὰ αἰσχρὰ μὴ πράττειν id est, *agere quod honestum est, quàm non admittere turpitudinem.* Atqui dare est δ' ποιεῖν, accipere δ' πάσχειν: & qui rectè dat, honestè agit; qui accipit, sibi cavet à turpitudine, dum non accipit, nisi quomodo oportet. Tertiò, quia gratia, & laus danti potius, quàm accipienti tribuitur. Quartò, quia difficilius est sua dare, quàm accipere, imò etiam quàm non accipere aliena. Quintò, quia liberalis magis dando, quàm accipiendo amorem sibi conciliat. *lib.* 4. *Eth. cap.* 1. Hisce adde dictum Servatoris nostri, Beatius est dare, quàm accipere. *Actor.* 20. 35.

4. Quòd etiam id accipiendo sit posita liberalitas, hinc colligendum est Primo, quia usque dare non potest, qui nihil unquam recipit. Deinde, quia, qui nihil ab aliis accipere, vult, damnare videtur eos, qui accipiunt.

5. In dando spectari debent, finis, persona, quantitas & qualitas beneficiorum, tempus, locus, & animus. Finis liberalitatis idem est, qui omnium virtutum, nempe τὸ καλὸν. Quare qui beneficia, vel lucri, vel honoris,

vel voluptatis causâ largiuntur, avari, ambitiosi, intemperantes, & quidvis potiùs sunt quàm liberales. Non enim beneficium est, quod in quæstum mittitur. *Sen. lib. 4. de ben. c. 14.* Nam à beneficio abesse debet negotiatio. *Idem lib. de ben. cap. 12.*

6. In personis considerandæ e. dignitas. Nam sicuti beneficia malè locata, ne bẽeficia quidẽ sũt: ita bẽe ficiũ dando accepit (ut ait *Seneca*) cui digno dedit. Quare non sunt quibusvis danda beneficia ὡς ἔχῃ δίδοναι, οἷς δεῖ, i.e, *ut suppetat, quod possit dari dignis. lib. 4, Eth. cap. 1*, indigni omnes sunt, quos novimus esse improbos. Inter probos ii digni censeri debent, quorum vel egestas, vel benevolentia, vel merita nobis sunt abundè perspecta. Hâc in parte bifariàm peccatur: & cùm datur indignis, vel cùm non datur dignis, utrumque cavet liberalis quantum potest: ægriùs tamen fert, εἴτε δέον μὴ ἀνάλωσεν, ἢ εἰμὶ δέοντι, i. e, *se, cum res postularet, non feciſſe sumptus, quàm feciſſe, cùm non postularet lib. 4. Eth. c. 1.*

7. In quantitate beneficiorum primùm habenda est ratio sui ipsius, deinde accipientis. In seipso considerandæ sunt facultates & decorum. Non debent ergò beneficia exhaurire nostras facultates, ut non suppetat, quod deinceps detur. Non debent etiam esse sordida, aut infra dignitatem nostram. In accipiente considerandæ sunt egestas, benevolentia,

volentia, & merita. Egestatis & benevolentiæ causâ dantur beneficia; meritorum causâ, redduntur. Quæ egenis tribuuntur, sat magna sunt, si satis prosunt. Beneficium enim unus in fame panis, & ardentibus siti, vixque spiritum per siccas fauce trahentibus monstrare fontem. *Sen. lib 3. de ben. cap. 8.* In benevolentia aliorum erga nos illud in officio est, ut ei plurimum tribuamus, à quo plurimuùm diligimur. *Cic. lib. 1. Offic.* Si referenda sunt beneficia benè de nobis meritis, majore mensurâ reddenda sunt, si angustia non obstat rei familiaris.

8. In qualitate beneficorum spectanda est utilitas, & justitia. Eâ liberalitate utendum est quæ prosit amicis, noceat nemini, *Cicero. lib. 1. Offic:* Quæ accipientibus nocitura sunt, ea vel petentibus negare beneficium est. Sic frigida ægris negamus, & lugentibus ac sibi iratis, fertum; aut amentibus, quicquid contra se usurus ardor petit. *Sen. lib. 2. de ben. cap. 14.* Injusta sunt beneficia quæ aliis eripiuntur. Non enim minùs injusti sunt, qui aliis eripiunt, quæ aliis largiantur, quàm si ista in rem suam converterent. Liberalitas ergò debet de suo largiri. *liber. 3. Ethic: capit. 1.* Nihil enim est liberale quod non sit idem justum. *Cicer. liber. 1. Off.*

9. In tempore spectatur celeritas. Nam

bis dat, qui citò dat. Minuit enim beneficii magnitudinem cunctatio. Nam cùm in beneficio jucundissima sit tribuentis voluntas, multùm detrahit beneficio, qui nolentem tribuisse se, ipsâ cunctatione testatus est, ac non tam dedisse, quàm non retinuisse. *Sen. lib. 2. de ben: cap. 1.* Citò dare, est petitionem indigentis dando antevertere. Nihil enim cariùs constat, quàm quod precibus emitur. Itaque cùm molestum sit verbum Rogo, hujus faciendæ est gratia amico, & cuicunque, quem amicum sis promerendo facturus. *Sen: ibid. cap. 2.* Atque hoc sanè in liberalitate est optimum: si tamen alterius indigentia non est per se perspecta, optimo proximum est, plura rogantis verba intercidere, ne rogati videamur. *Senec: Ibid.*

10. De loco sic statuendum: beneficia quæ honoris causâ tribuuntur, vel benevolis, aut benemeritis, apertè & publice tribui possunt; ita tamen ut absit ostentatio. Quæ tribuuntur egestatis sublevandæ causâ, privatim & clam danda sunt; Ea enim vulgare, nihil est aliud, quàm accipientis inopiam exprobare. Interdum etiam vel inscienti atq; ignaro beneficium tribuendum est; cùm scilicet egestatem ejus sublevare volumus, cui ægrè est aliorum opibus indigere.

11. In animo dantis requiritur ἱλαρότης, id est, *hilaritas*. Qui enim dando contrista-

atur,

atur, pecuniam honestis actionibus anteponit. *lib. 4. Eth. cap. 1.* Hilaritas animi in vultu & verbis apparere debet: ne silentium: aut loquendi tarditas tristitiam imitata, corrumpat beneficia vultu negantium promissa. Quantò meliùs adjicere bona verba bonis rebus, atque etiam familiarem querelam; *Irascor tibi, quòd cùm aliquid desiderässes, non olim scire me voluisti. Ego verò mihi gratulor, quòd experiri animum meum libuit. Posteà quicquid desiderabis, tuo jure exiges. Sen. Ibid. cap. 3.*

12. In accipiendo, viro liberali observandum est: Primò, ut non sit petax. Rarò enim petendum est beneficium, & non nisi in urgente necessitate; nunquam repetendum, quasi debitum. Æquissima quidem vox est, est & jus gentium præ se ferens, *Redde quod debet*; sed in beneficio turpissima. Quanquam non potest reddi beneficium petenti; Interit enim beneficii natura, si transit in mercedem. Secundò, ut oblata beneficia accipiat quidem, sed verecundè, οὐ γάρ ἐστι τῶν ποιοῦντος ἐυχερῶς ἐνεργεῖσθαι, id est, *non est hominis benefici, promptè beneficium accipere lib. 4. Eth. cap. 1.* Tertiò, non debet accipere ab iis, quibus nollet dedisse: veluti ab improbis, aut tyrannis. Grave enim est debere cui nolis. Quartò, non etiam quidvis accipiendum est, sed id tantùm quòd rectè datur:

tur: hoc est, quod neque danti neq; accipienti ignominiosum est, aut noxium. Imprimis cavenda sunt beneficia viscata.

13. Liberalitati opponuntur ἀσωτία, Id est, *prodigalitas*, & avaritia. Ἄσωτος dicitur, quasi ὁ δ' αὐτὸν ὑπολλύμενος. Id est, *qui ipse se perdit*. Nam perditio quædam sui ipsius videtur esse ἡ τῆς οὐσίας φθορὰ, id est, *facultatum interitus*, præfertim τοῦ ζῆν διὰ τούτων ὄντος, Id est, *cùm hisce vitam tuamur. lib.* 4. *Eth. cap.* 1.

14. Prodigalitas & avaritia diversa ratione, & excessus est, & defectus. Prodigalitas est excessus in dando, defectus in accipiendo: contrà, avaritia est defectus in dando, & excessus in accipiendo. Quod si prodigi interdum etiam accipiendo peccent in excessu, illud per accidens contingit. Quia enim volunt usque largiri; cùm sua prodegerunt, coguntur aliunde rapere, quod aliis largiantur. *liber.* 4. *Ethic. cap.* 1.

15. Avaritiæ tria sunt genera. Primum genus est eorum qui in dando tantùm peccant, in accipiendo modum servant; idque vel διάτινα ἐπινίκειαν καὶ εὐλάβειαν τῶν αἰσχρῶν, id est *probitate quadam adducti, aut studio fugiendæ turpitudinis*. vel διὰ φόβον, i.e, *præ metu*, ne scilicet si accipiant, cogantur majora reddere. Hujusmodi homines vocantur φειδωλοὶ,

γλίσχοι,

γλίσχρι. κίμβικες κυμινοπρίσται. Id est, *præparci, tenaces, sordidi, cumini sactores.* Secundùm genus eorum est, qui in accipiendo peccant, ut lenones perductores, meretrices, fures fœneratores, atque adeò universum genus αἰσχροκερδῶν. Tertium, genus eorum est, qui & in dando simul & in accipiendo peccant, atque hi haud dubiè sunt deterrimi. *Ibi.*

16. Avaritia multò deterior est prodigalitate. Primò, quia prodigus εὐίατος ἐστι καὶ ὑπὸ τῆς ἡλικίας, καὶ ὑπὸ τῆς ἀπορίας: id est, *facilè sanari potest, aut ætatis maturitate, aut inopiâ.* Nam cum eadem illi conveniant, quæ libeberali, dare scilicet, & non accipere, facilè potest ad medium pervenire, & dare atque accipere ut oportet. At avaritia senio angetur simul & innopiâ. Secundò, quia prodigus dignus multis prodest; at avarus ne sibi quidem ipsi. *lib 4. Eth cap.* 1.

17. Magnificentia est virtus servans mediocritatem & decorum in magnis sumptibus. Differt enim gradu potiùs, quàm specie à liberalitate. Versatur enim circa actiones pecuniarias ut liberalitas; non quidem circa omnes promiscuè, sed solùm περὶ τὰς δαπανηρὰς, i.e, *circa sumptuosas*, sive quod eodem redit; occupata est solummodò in faciendis sumptibus. Atq; in his ὑπερέχει τῆς ἐλευθερι. ότητος μεγέθει, i.e, *liberalitatem superat magnitudine.* Quod vel ipsum nomen indicat. Nã

μεγα-

μεγαλοπρέπεια nihil aliud sonat, quàm ἐν μεγέθει πρέπουσα δαπανή, id est, *in magnitudine decorus sumptus. lib. 4. Eth. cap. 2.* Ex quo sequitur virum magnificum etiam liberalem esse, sed liberalem non esse continuò magnificum.

18. Decorum, quod magnificus observat, in eo positum est, ut sumptus operibus, & opera sumptibus, & ambo facultatibus respondeant. Atque hujusmodi sumptus facit non ostentationis, sed honestatis causâ, idque, ἡδέως καὶ προπεπῶς, id est, *hilariter & prolixè* magísque spectat πῶς κάλλιστον καὶ πρεπωδέστατον ἢ πόσου, καὶ πῶς ἐλαχίστου. Id est, *quomodo opus quàm pulcherrimum et quàm maximè decorum, quàm, quanti, et quàm minimò efficiatur sumptu. Ibid.*

19. Opera quæ molitur, vel publica sunt ut, templa & quæ ad templa spectant, nosocomia, xenodochia, Academiæ, collegia, & reditus eo pertinentes, curiæ, palatia, fora, porticus, pontes, fontes, & id genus alia: vel privata; ut, ædes, horti, prædia, supellex, vestes, &c. In operibus publicis præcipuè quidem magnificentia consistit, sed & in privatis rebus elucet aliquo modo.

20. In publicis operibus non solùm splendor, sed etiam utilitas publica spectanda est, & diuturnitas. Nam facilis est in luxum lapsus, si quis ingentes sumptus & sæpè

facit

facit in res momentaneas, ut in ludos, spectacula, & id genus alia. Et, si opus diuturnum quidem sit, sed nullam præbet utilitatem civibus, minimè videtur id tanquam virtutis opus esse commendandum, Quo in genere meritò quis posuerit Regum Ægyptiorum pyramides, non sine profusâ opum ostentatione in usum sepulchrorum conditas.

21. Magnificentia non cadit in privatos ac plebeios; sed tantùm in magistratus, & viros illustres, ac principes. Plebeiis enim aut opes non suppetunt, ad faciendos sumptus, aut operibus decorum detrahit obscuritas. In iis tamen, quæ semel invita fiunt, aut rarò, ut in nuptiis, & similibus rebus, privati possunt aliquam qualemcunque magnificentiam exercere.

22. Magnificentiæ in excessu opponitur βαναυσία, id est, *luxus*; & ἀπειροκαλία id est, *imperitia decori*; in defectu μικροπρέπεια, id est, *sordes*.

23. Βάναυσοι & ἀλειτόκαλοι dicuntur qui obscuritatis suæ immemores illustrium virorum mores imitantes, vel facultates suas exhauriunt, vel splendorem quærunt sibi indecorum: veluti si sutor aut sartor sibi principe dignum ædificet palatium, aut curet fieri marmoreum tumulum: tum qui magnos sumptus faciunt, in opera vel non satis splendida, vel nullam utilitatem, neq;

publicè,

publicè, neque privatim habitura.

24. Μικροπρεπεῖς dicuntur, qui nimis anxiè & parcè sumptus præbentes, operibus detrahunt splendorem.

CAP. XVII.

De Magnanimitate & Modestia.

§. 1.

MAgnanimitas, (Græcè μεγαλοψυχία dicitur) hoc loco non significat fortitudinem, ut sæpè, sed virtutem quę servat mediocritem in cupiditate & studio magnorum bonorum.

2. Objectum magnanimitatis externum, est honor; internum, honoris cupiditas. Magnanimitas enim *in* magnis est, ut ipsum nomen indicat. Μεγαλόψυχος enim dicitur ὁ μεγάλων αὑτὸν ἀξιῶν ἀξίως ὤν. Id est, *qui cùm sit magnus, magna se mereri existimat.* At inter bona externa nihil majus est honore, ut qui ipsi Deo tribuitur, καὶ μάλιστα ἐρίενται οἱ ἐν ἀξιώματι, καὶ τὸ ὅπι τοῖς καλλίστοις ἆθλον, id est, *& quem ii, qui in magistratu sunt, maximè expetunt, quodq; rerum pulcherrima-*

rum

rum præmium est, lib. 4. Eth. cap. 3.

3. Officium magnanimi est, magnos honores decenter expetere, oblatos modestè admirtere, diligenter tueri ac conservare. Est ergò magnanimus τῷ μεγέθει, ἀκρος τῶν δεῖ, μέσος, id est, *magnitudine summus; at quatenus ita ut oportet, honoribus studet, medius. Ibidem.*

4. Fundamentum quo studium magnorum honorum nititur, est ipsa virtus. Magnanimus vir optimus est, habétque in unaquæque virtute magnum aliquid atque excellens, ipsaque magnanimitas κόσμός τις ἐστι τῶν ἀρετῶν. Id est, *virtutum quoddam ornamentum est.* Nam majores eas efficit, atque ampliores. *Ibid.* Quare, cùm honores sint præmia, & veluti merces quædam virtutis, justum est, ut virtuti ac meritis eorum, quibus tribuuntur, respondeant, & magnis ac magnâ virtute præditis, cedant magni; & mediocres iis, in quibus mediocres virtutes sunt.

5. Magnanimus ergò non ambit nisi magnos honores, & à bonis ac claris tantùm viris deferri solitos; idque non nimis cupidè aut sollicitè, ne rem novam sibi, ac insolitam, sed ut mercedem virtutis sibi debitam, petere videri possit. Quam etiam ob causam non effusè gaudet, si fortè magnis honoribus à bonis viris afficiatur, sed moderate, ὡς τῶν οἰκείων τυγχάνων ἢ ἐλαττόνων. Id est, *quasi*

scilicet

scilicet sua, vel etiam virtute suâ minora consecutus. Interim eos æqui bonique consulit: quia novit, sibi nihil posse majus honore tribui. Honores, qui sibi à vulgo, vel ob res parvas, tribuuntur, non aliter negligit, quàm ignominiam; existimans, neque illos, neque hanc ad se jure pertinere. *Ibid.*

6. Porrò magnanimus non in honore solùm, sed etiam in divitiis ac principatu, in omni denique fortunâ moderatum sese præbebit, καὶ οὔτε εὐτυχῶν περιχαρὴς ἔσται, οὔτε ἀτυχῶν περίλυπος. Id est, *neque in secundis rebus efferetur lætitiâ, neque in adversis superabitur mærore.* Nam cui ne honor quidem magnus est, ei principatus aut divitiæ non potuerunt esse tanti, ut eos immoderatè appetat, aut nimis cupidè possideat. Novit quidem, τὰ εὐτυχήματα συμβάλλεσθαι πρὸς μεγαλοψυχίαν, id est, *res secundas ad magnanimitatem conducere:* sed tum demum: cùm bonis viris obtingunt. Est quidem solus vir bonus τιμητὸς, id est, *honore dignus:* si cui tamen virtus obtingit cum fortunâ μᾶλλον ἀξιοῦται τιμῆς, id est, *honore dignior habetur.* Quibus verò sine virtute talia bona obtingunt, hi non magnanimi, sed ὑπερόπται καὶ ὑβρίσται, *contemptores et contumeliosi* evadunt, quia alios fastidiosè, & cum injuria deprimunt. Quia in re etsi similes magnanimo videri possint, plurimùm tamen ab iis distant. Nam

cùm

cùm magnanimus tamen τῶν ἄλλων καταφρονεῖ, i.e. *alios despicit*, justè illud facit. δοξάζει γὰρ ἀληθῶς. Id est, *rectè enim de unoquoque judicat*, & magnos magni, parvos parvi existimat: & illos sibi pares, hos inferiores se esse judicat. *Ibidem.*

7. Hæc magnanimi in utraque fortunâ moderatio, non est Stoica quædam ἀπάθεια. Nam certè gravioribus casibus afficitur, ut hominem decet, saltem cùm sine arbitris est. Et hos tamen ipsos ita fert, ut nihil faciat præter dignitatem suam. Imprimis cavet, ne sit ἀλοφυρτικὸς ἢ δεητικὸς, id est, *querulus aut supplex*. Id enim hominis est nimiam curam in res humanas conferentis. *Ibid.*

8. Magnanimus neminem metuit. Hinc fit ut sit φανερόμισος καὶ φανερόφιλος, id est, *ut apertè se vel inimicum, vel amicum profitcatur*; utque veritatem potiùs curet, quàm opinionem, omniaque agat & dicat apertè, nihil dissimulet, nisi fortè apud vulgus. Ex quo sequitur, nihil difficilius magnanimo esse, quàm alterius nutu atque arbitratu vivere: est enim hoc servile. *Ibid.*

9. Magnanimo nihil est magnum præ se ac virtute suâ. Quare non est θαυμαστικός: Id est, *non facilè quippiam admiratur*. Non est etiam μνησίκακος: id est *memor injuriarum*. Nullas enim injurias tanti æstimat,

ut,

ut non negligendas eas putet, ac pro nihilo ducendas, potiùs, quàm vindicandas. Præterea non est ἀνθρωπολόγος. Neque enim de se, neque de aliis libenter loquitur: nam neque ut ipse laudetur, magnoperè curat, neque ut alii reprehendantur. Quare non est ἐπαινετικός id est, *laudator* sui scilicet ipsius; οὐδὲ κακολόγος id est, *neq; maledicus*, ne quidem in inimicos. *Ibid.* Quod additur, εἰ μὴ δι' ὕβριν i.e. *nisi illatâ contumeliâ provocatus*, directè pugnat cum Servatoris nostri præcepto, *Mat. cap. 5. vers. 44.*

10. Magnanimus omnia metitur virtutis ac dignitatis suæ splendore, nihil enim judicat virtute aut honore majus. Quare non patitur voluptate, aut dolore, aut quæstu, aut damno, aut injuriis, aut ullâ aliâ re virtutis suæ cursum inturrumpi: quin ipsam vitam virtuti & honori postponit. Non est quidem φιλοκίνδυνος, aut μαχροκίνδυνος, sed μεγαλοκίνδυνος, h. e. *non temerè se, aut parvis perculis objicit, sed magnis*, & magnâ necessitate urgentes: atque in iis ἀφειδὴς ὅτι τοῦ βίου, id est, *non parcit vitæ suæ*; sed statuit gloriosè potiùs moriendum, quàm vivendum pericnlis turpiter declinatis. Si tamen interdum fugiendum est, existimat non esse fugiendum sibi παρασείσαντι, id est, *manibus demissis*, aut manuum demissarum jactatione, ceu remigio quodam, cursum acceleranti. *Ibid.*

11. Mag-

11. Magnanimus paucas res aggreditur, sed magnas & celebres: atque in his ipsis cunctator est, nisi ubi magnus honor proponitur. *Ibid.*

12. Beneficia libenter dat: non accipit (nedum ut petat) nisi cum verecundia. illud enim præstantioris, hoc inferioris hominis est. Si quæ tamen accipit, ea statim majore mensurâ compensat; & benè de se meritum novo beneficio divincit. Hinc fit, ut datorum citius, quàm acceptorum beneficiorum, memoriam deponat: libentiúsque audiat commemorari quos ipse beneficiis affecit, quàm à quibus beneficiis affectus est. Præterea ita comparatus est, ut res pulchras ac splendidas, eásque steriles malit possidere, quàm fructuosas, & utiles. *Ibid.*

13. Magnanimus alii se prudenter accommodat: inter magnos ac graves, magnum se ac gravem præbet; inter mediocres & humiles, gravitatem comitate temperat. Generosum enim est, inter magnos σεμνύεσθαι, i. e, *gravitatem præ se ferre*: in humiles, ridiculum est. Utrumque enim magni animi est, & locum inter æquales tueri, & inferiores non contemnere, *Ibid.*

14. Loca honorata rarò frequentat, ne aut petere honorem videatur, aut cogatur aliis sese submittere. Incessu utitur tardo, voce gravi, & otatione sedatâ: neque enim festinare solet

solet, quia multis negotiis se non implicat, οὐδὲ σύντονος, i. e, *neq; vehementer contendit*, quia nihil ei videtur esse magnum *Ibid.*

Magnanimitati in excessu opponitur χαυνότης, id est, *fastus* in defectu μικροψυχία, id est, *pusillanimitas*.

16. Χαῦνοι propriè dicuntur fungosi: & quia, quæ fungosa sunt, vento repleri solent, factum est, ut χαῦνοι dicantur hoc loco, qui virtute vacui, solâ virtutis opinione tumeant, virtutémq; sibi inesse existimant, aut quæ non insunt, aut majores quàm insunt, honorésque sibi arrogent indebitos, & munera quibus gerendis omninò sunt inepti. Præterea ἐσθῆτι κοσμοῦνται καὶ χήματι, id est, *ornatum sibi quærunt ex vestitu atque habitu corporis*, & similibus aliis: divitias jactant, quasi ex his honorem consecuturi: & quod caput rei est, alios præ se contemnunt. *Ibid.*

17. Pusillanimes sunt animo adeò dejecto, ut omnes honores promiscuè negligant, etiam eos qui sibi jure meritò debentur.

18. Neutri duorum videntur esse κακοί, i. e, *mali* οὐ γὰρ κακοποιοί εἰσι, i. e, *aliis enim non sunt autores* mali. Utrique tamen peccant: nam fastuosi, sunt ἠλιθίοι, id est, *stulti*; pusillanimes, ὀκνηροί, id est, *tardi segnes*. Quare utrique reprehendendi, illi, quia se iis honoribus, ac muneribus ingerentes, quibus gerendis

dis sunt impares, Reip. non parùm nocent: hi, tum quia suis se bonis spoliant, quibus digni sunt, malámque de se opinionem apud alios concitant; tum quia Reip. sese subducunt, cui poterant utilem operam navare, tum deniq; hâc ipsâ de sese opinione deteriores evadunt. *Ibid*

19. Modestia hoc loco non sumitur pro *continentia aut moderatione cupiditatum*, ut sumitur à *Cicerone lib. 3. ad Heren.* non pro εὐταξία ut lib. 1. *Off.* non etiam pro temperantiâ, ut *lib. 3. Tusc.* Sed pro ea virtute, quæ servat mediocritatem in cupiditate, & studio mediocrium, & parvorum honorum. Modestia enim ita se habet ad magnanimitatem, ut liberalitas se habet ad magnificentiam. Utrobique non objectorum diversitas, sed ejusdem objecti diversa quantitas duas virtutes facit, gradu potiùs, quàm specie differentes. Quare ut in magnis honoribus magnanimus, ita in parvis, & mediocribus se debet gerere modestus.

20. Modestus eos solùm honores ambit, qui suæ virtuti ac meritis debentur, quoûsque præsentis status Reip. & occasio temporum sine difficultate indulget.

21. Cum modestiâ conjuncta est animi æquabilitas & humilitas: neque enim effusè gaudet vir modestus ob honores concessos, nec immodicè dolet ob negatos aut ereptos, neque

neque se supra alios, æquè aut etiam aliquantò minùs honoratos, insolenter ac cum contemptu efferri; sed tantùm locum suum sic tuetur, ut nihil aliis detrahat.

22. Modestiæ in excessu opponitur φιλοτιμία, id est, *ambitio:* in defectu, ἀφιλοτιμία, id est, *nimia animi demissio:* nisi quod sæpè fiat, ut virtus ipsa his nominibus significetur, quia nullum illi proprium nomen à *Græcis* tributum est, *lib. 4. Eth. cap. 4.*

23. Ambitiosus majores honores ambit, quàm vel sua virtus exigit, vel æquitas ac præsens temporum conditio permittit; vel æquales ac meritis suis convenientes ambit nimis cupidè. Cum ambitione ferè conjuncta est præsumptio, & superbia. Ambitiosus enim, & ea sibi arogat quæ non habet, aut saltem majora quàm habet; & alios superciliosè præ se contemnit.

24. Φιλότιμος dicitur, qui nullâ honorum cupiditate ducitur: adeò ut ne debitos quidem sibi honores ambiat, ultrò delatos vel repudiet, vel ægrè admittat, indiligenter gerat, ac nullâ planè curâ custodiat.

CAP.

CAP. XVIII.

De Manſuetudine.

§. 1.

MAnſuetudo primitùs videtur beſtiis tributa, quæ eſſent cicuratæ, & manibus tractari aſſuetæ; poſteà verò adhibita ad ſignificandum animum tractabilem, & iræ ſuæ moderantem. *Græcè* dicitur πραότης, quanquam nos ſatis propriè: nam qui propriè vocatur πρᾶος non nihil declinat à medio ad defectum, eò quòd non τιμωρητικὸς, ſed tantùm συγγνωμικὸς eſſe videatur, id eſt, non *ad ulciſcendum* ſed tantum *ad ignoſcendum pronus*; cùm tamen mediocritati utrumque ad eſſe oporteat. *lib. 4. Et. c. 5.* Nam non minùs iraſcendum eſt ulciſcendum, quando oportet, quam non iraſcendum & ignoſcendum, cùm non oportet.

2. Manſuetudo eſt virtus ſervans mediocritatem in iraſcendo & vindicando. In principie, aut Magiſtratu dicitur clementia.

3. Objectum manſuetudinis internum eſt ira: objectum externum ſunt ea omnia quæ iram provocare ſolent, ut offenſio, damnum, injuria, ignominia, ὀλιγωρία, id eſt, *contemptus* ſui & ſuorum, & id genus alia.

4. Quid ira sit, cap. octavo dictum est. Hoc loco solùm observandum est. Iram esse omnium affectuum vehementissimum, turpissimum, pariter ac pernicioſissimum. Etenim rationem violentissimo quodam impulsu sede suâ deturbat, & vultum, totúmque corpus turpissimo habitu sic deformat, ut iratus à furente solo tempore differre videri possit, nisi quod ille sit ingenioſior nocendi. Præterea, cùm animus flagrare cœpit dirâ illâ cupiditate vindictæ, fit impotens sui & non decoris tantùm, sed etiam arctiſſimarum sæpè neceſſitudinum obliviſcitur, ac ruit in omne genus funeſtiſſimorum flagitiorum, hoc unum ingenioſus, ut illis noceat, à quibus se offensum esse existimat: cæterùm rationis omnis & consilii expers.

5. Quare si alibi, hîc certè omni studio curâque enitendum est, ut animus statim cicuretur, & ratione se tractari ac duci permittat. Ubi enim mens iræ servit, ibi nihil rectè, nihil considerate fieri potest.

6. Ad quam rem non id videtur esse neceſſarium, ut omnis planè vitetur ira, sed ut modus in illâ, atque vindictâ, & mediocritas servetur. Non enim omnis ira vitioſa est, sed ea tantùm, quæ cùm rectæ rationis judicio pugnat. Nam ut ira immoderata, atque intempeſtiva, & ipſa mala est, & multorum, & maximorum malorum cauſa; ita moderata

moderata & opportuna ira laudabilis censeri debet, & utilis ad alias virtutes, fortitudinem imprimis, & illam Justitiæ partem quæ delinquentibus pœnas irrogat, meliùs exercendam. Apostolus certè iram non damnat, sed iræ vehementiam, & diuturnitatem: mediocrem iram aut imperat, aut permittit, cùm inquit: Ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε· ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν: id est. *Irascimini & nolite peccare: ne occidat sol super iram vestram. Eph. 4. vers. 26.*

7. Quod *Seneca* profert adversus *Aristotelem*, prorsus falsum est. Si ira, inquis rationem exaudit, & sequitur quà ducitur, jam non est ira, cujus proprium est contumacia, sed alio nomine appellenda est. *lib. 1. de ira.* Nam & irati quidam constant sibi, seséque continent, cùm incolumes intactósque dimittunt, quibus irascuntur, & à nocendo abstinent, etiam tum, cùm ira nondum decessit. Notum enim est illud *Platonis*, vapulares, si iratus non essem. Deinde, quoties ratio justam & necessariam vindictam decrevit delinquenti irrogandam, ira decretum illud firmat, atque efficit, ne ab injusta misericordia subvertatur.

8. Mediocritas in irascendo servabitur, si irascimur ἐφ' οἷς δεῖ, καὶ οἷς δεῖ ἔτι δὲ καὶ ὡς δεῖ· καὶ ὅτε· καὶ ἕως χρόνου δεῖ: i. est, *quas ob res, & quibus oportet, præterea quemadmodum,*

quando, & quandiu oportet. lib. 4. Eth cap. 5.

9. Primùm ergò considerandæ sunt causæ, & irritamenta iræ. Nam non levi de causa iracundum est; sed tum demùm, cùm aut gloria Dei violatur, aut tranquillitas Rei. turbatur, aut nostra vel nostrorum salus periclitatur, aut existimatio læditur, aut injuria nobis ac nostris petulanter infertur.

10. Secundò habenda est ratio personarum. Neque enim omnibus, à quibus causas iræ nobis præberi judicamus, promiscuè iracundum est, aut sine discrimine. Sunt enim qui suâ sponte, vel etiam per ludibrium causas iræ objiciunt: in hos justa potest esse ira, atque indignatio nostra. Sunt etiam qui per imprudentiam ostendunt: his, si cum pœnitentia delicti veniam petunt, iracundi inhumanum est; modò imprudentia affectata non sit, & dolo careat. Præterea non eodem modo, neque æquè facilè iracundi debemus magistratui & subditis, parentibus & liberis. Nam quibus major debetur reverentia, in eos non tam facilis debet esse iræ locus.

11. Tertiò, modus iræ faciendus est. Turpissimum enim est, & belluâ magis, quàm homine dignum, sic irâ commoveri, ut furore potiùs, quàm consilio, aut ratione egisse videaris, ad quod te ira impellit. Et cùm primi iræ motus vehementissimi sint, iis statim ratio se debet opponere: aut si

quando

quando rationem minùs attentam ira oppreſſit, proximum eſt illud Ioëtæ.

— Ne fræna animo permitte calenti.
Daſpatium tenuemq; moram:

Aut conſilium Athenodori Philoſophi, quod Auguſto dabat, ne ſcilicet iratus, aut diceret, aut faceret quicquam, priuſquam omnes literas Alphabeti ordine recenſuiſſet.

12 Quartò, tempus conſiderandum eſt, & cum eo locus. Atque hîc obſervandum eſt, ne in grauioribus & apertis delictis nimis tardè, aut in leuioribus, & non ſatis liquidis, nimis citò iraſcamur. Imprimis irâ abſtinendum eſt in ſeriis conſultationibus, aut in conviviis, aliiſque locis gaudio deſtinatis. Quod ſi fortè aliquid irâ dignum hic objicitur de ea re alio loco ac tempore agendum, idq; adhibitis arbitris, ut res componatur potiùs, quàm in illicitam vindictam erumpat.

13. Quintò obſervandum eſt, ut ira non ſit diuturna. Quæ enim diu fovetur, tandem in odium degenerat. Quia autem iræ cauſa offenſa eſt, ea vel gratis delinquenti condonanda eſt, vel qualicunque ſatisfactione præeunte remittenda, atque ipſa adeò memoria, ſi fieri poteſt, deponenda, ne poſteà ira recrudeſcat.

14. Ex ira vindicta proficiſcitur, eaque vel defenſiva vel offenſiva: vindictam defen-

defensivam docendi causâ vocamus, quâ malum impulsamus; offensivam, quâ malum irritanti, aut delinquenti inferimus. Defensivam vindictam omnibus modis esse licitam, omnes homines facilè confitebuntur. Nihil enim naturæ, nihil rationi magis consentaneum, quàm malum amoliri.

15. Vindicta offensiva vel publica est, vel privata: quarum illa à magistratu, quâ magistratus est; hæc à privatis, aut à magistratu ex privata causa aut effectu exercetur. Vindicta publica, vel in hostes exercetur, vel in subditos: illa bellum, hæc pœna nominatur.

16. Bella incertum semper eventum habent, & maximis calamitatibus referta sunt: quare temerè non sunt suscipienda. Quoties tamen in pace non licet sine injuria vivere: quoties de religione agitur, de libertatis, de patriæ, parentum, ac liberorum defensione, tam justum quàm necessarium est, bello se finésque suos tueri; & hostium etiam fines invadere, si priores lacessiverunt. Sed cùm duo sint genera decertandi (ut inquit *Cicero*) quibus homines jus suum solent inter se tueri, unum per disceptationem, alterum per vim; tum demùm ad posterius confugiendum est, sicuti non licet superiore. *lib.* 1. *de Offic.*

17. Pœna, quæ à magistratu delinquentibus

tibus infligitur, non ſolùm licita eſt, ſed etiam neceſſaria. Nimia enim licentia (ut inquit *Seneca*) adverſus malos, crudelitas eſt adverſus bonos. Nam cùm mali ſolâ pœnæ formidine à peccatis deterreantur, pœnâ ſublatâ, quicquid libet, ſibi licere exiſtimabunt, omniáque jura ſocietatis evertent, & qui potentiores ſunt, cæteros habebunt arbitrio ſuo obnoxios. Quare ità probanda eſt manſuetudo (verba ſunt *Ciceronis*) ut adhibeatur Reip. causâ ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt. Interim autem omnis animadverſio contumeliâ vacare debet, & non ad ejus qui punit, ſed ad Reip: utilitatem referri. Cavendum etiam, ne major pœna quàm culpa ſit; & ne iiſdem de cauſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. *lib.* 1 *Offic.* Imò legum præſidem, civitatiſque rectorem decet, ut rectè præcipit *Seneca*, quamdiu poteſt, verbis, & his mollioribus, curaringenia, ut facienda ſuadeat, cupiditatémque honeſti & æqui conciliet animis, faciátque vitiorum odium, pretium virtutum: tranſeae deinde ad triſtiorem orationem, quâ moneat adhuc & exprobret noviſſimè ad pœnas, & has adhuc leves & revocabiles: ultima ſupplicia ſcel ribus ultimis ponat, & nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit. *lib.* 2. *de Ira cap.* 5.

18. Tria ſunt pœnarum genera, (ut

rectè *Gellius*) cauſis ſuis ac finibus diſtincta. Unum eſt, quod κόλασις vel νουθετία, vel παράινεσις vocatur, quum pœna adhibetur emendandi gratiâ. Alterum, vocatur τιμωρία, quæ tum adhibetur, cùm dignitas, auctoritaſque ejus, in quem eſt peccatum, tuenda eſt, ne prætermiſſa animadverſio, contemptum ejus pariat, & honorem levet. Tertium genus παράδειγμα à *Græcis* nominatur, cùm punitio propter exemplum eſt neceſſaria, ut cæteri à ſimilibus peccatis, quæ prohiberi publicitùs intereſt, metu cognitæ pœnæ prohibeantur. *lib.* 4. *Eth. cap.* 14.

19. Vindicta privata nemini licita eſt, niſi cui neceſſaria eſt. Nam cùm Magiſtratus ſit miniſter Dei, ὁ γὰρ ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι, id eſt, *& ultor ad iram, ſive* pœnam *facienti quod malum eſt.* *Roman. cap.* 13. *verſ.* 13. in Magiſtratus munus injuſtè involat, qui privatam vindictam aggreditur. His adde, quod vindicta privata illos, in quos exercetur, deteriores efficiat, eóſque vel ignavos reddat, vel ad iram denuò, atque odium concitet. Vindictam neceſſariam appello, cùm malum non poteſt niſi malo propulſari, veluti cùm quis alteri noxam infert, ut vitam ſuam inculpatâ tutelâ defendat, omnibus aliis evadendi modis ademptis. In hoc certè caſu valet illa naturæ lex; Vim vi repellere licet.

20. Manſue-

20. Manſuetudini in exceſſu opponitur ὀργιλότης, id eſt, *iracundia*; item crudelitas; in defectu ἀοργησία, id eſt, *iræ vacuitas quædam, atque lentitudo.* Iracundia modum excedit in ira; crudelitas in exigendâ pœnâ aut vindictâ. Nam qui ignotos homines & obvios non in compendium, ſed occidendi cauſâ occidunt, non tam crudeles, quàm feri nominandi ſunt. Crudeles enim proprie dici videntur, qui puniendi cauſam habent, modum non habent Sicuti Phalaris, quem aiunt, non quidem in homines innocentes, ſed ſupra humanum ac probabilem modum ſæviſſe. *Sen. de Clem. lib. 2. cap. 4.*

21 Iracundi dicuntur, qui quælibet ex cauſa, & quibuſlibet, & ubivis & quovis tempore iraſcuntur, idque & citiùs, & vehementiùs, & diutiùs; quàm oportet. Quanquam hæc omnia non reperiuntur in eodem, ſed in aliis alia. Si quis enim his omnibus eſſet obnoxius, neque ſecum ipſe, neque cum aliis vivere poſſet. Nam τὸ κακὸν καὶ αὐτὸ ἀπόλλυσι καὶ ὁλόκληρον ἢ, ἀφόρητον γίνεται. id eſt, *cùm per ſe malum perdat, tum ſi integrum ſit, intollerabile efficitur. lib. 4. cap. 5.*

22. Iracundiæ tres ſunt ſpecies; ἀκρόχολία quæ etiam ὀργιλότης generis nomine vocatur, πικρότης, & χαλεπότης, quæ & βαρυθυμία dicitur: Latinè, *excandeſcentia, amaritudo, & ſævitia* dici poterint. Excandeſcentes,

aut ut *Senecæos* vocat, ſtomachoſi dicuntur, qui facilè, & citò, & vehementer iraſcuntur. Sed quia φανερόν εἰσι διὰ τῶν ὀξύτητα, id eſt, *ob animi concitati celeritatem aperti ſunt*, iram citò deponunt. Amari ſive amarulenti vocantur, qui diu iraſcuntur, iram enim premunt, ut nullius ſuaſione poſſit mitigari: μάλα γ' γίνεται ὅταν ἀνταποδῶσι, id eſt, *tum demum quieſcit, cùm injuriam eſt ulta.* Quod ſi hoc non contingit, iram in ſeipſis decoquuns: ad quam rem tempore opus eſt. Sævi, aut ad verbum, difficiles, appellantur, qui omnibus modis modum excedunt, & non patiuntur ſe placari ſine vindictâ, aut caſtigatione *lib.* 4. *cap.* 5.

23. Lenti nuncupantur, qui ne objuſtas quidem cauſas iraſcuntur quibus, quantum, ubi & quando oportet. Hoc vitium omnibus quidem cavendum eſt (nam ignavi & ſervilis ingenii eſt nullâ prorſus re ad iram concitari) ſed iis præſertim, qui aliis præſunt. Nam omnem diſciplinam labefactat, & latiſſimam ſceleribus feneſtram aperit, impunitas peccandi.

24. Ex duobus tamen vitiis iracundia lenitudine deterior eſt, magiſque manſuetudini adverſa. Nam & frequentior eſt, & ad convictum vitæque ſocietatem minùs accommodata *lib.* 4. *Eth. cap.* 5.

CAP.

CAP. XIX.

De Veracitate.

§. 1.

TRes virtutes, quæ teſtant, verſantur περὶ τὸν λόγον, καὶ πρᾶξιν, τὸ ἐν ταῖς ὁμιλίαις, καὶ ἐν τῷ συζῆν, id eſt, *circa ſermones et actiones, quæ in hominum congreſſu, et vitæ quotidianæ conſuetudine ſolent obiberi.* In his enim vel veritas ſpectatur, ac falſitas; vel incunditas, & moleſtia: atque hæc vel ἐν ταῖς ὁμιλίαις, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς κατὰ τὸν βίον, id eſt, *in converſatione, atq; adeò in omnibus, quæ in vita quotidiano ſolent uſus venire;* vel ἐν τοῖς παιδιαῖς, id eſt, *in jocis. l. 2. Eth. c. 7. & 4. Eth. 64. 8.*

2. Hinc naſcuntur tres virtutes ὁμιλετικὰς: quarum una, quæ in converſatione ſpectat veritatem & falſitatem, ἀλήθεια, id eſt, *veritas*, aut potiùs *veracitas*, ab *Ariſtotele* vocatur; Latinè, *candor, integritas, ſinceritas*: altera, quæ jucunditatem & moleſtiam ſpectat in univerſa converſatione, φιλία nominatur, non quòd ſit idem quod amicitia, ſed quòd illi ſit admodum affinis. Latinè, *comitas & affabilitas*: tertia, quæ ſpectat jucunditatem in jo-

cis,

cis, εὐτραπελία dicitur, Latinè *urbanitas*. *lib. 2. Eth. cap. 7.*

3. Veracitas est virtus, sermone, gestu, vestitu, atque adeò totâ vitâ, veritatem profitendi.

4. Objectum veracitatis non solùm sermo est, sed etiam gestus, vestitus, atque adeò quicquid in vitâ quotidianâ solet esse signum, quo mentis nostræ sententiam, affectus, & quicquid in animo est, aliis prodimus. In his enim omnibus excessus & defectus, ac proinde mediocritas, habere locum possunt. Possumus enim aliis vel hoc ipsum dicere, quod res est, vel etiam plus, aut minus.

5. Officium veracis est ἀληθεύειν, id est, *veritatem profiteri*, non quidem ἐν ταῖς ὁμολογίαις, id est, *in pactis conventis* (id enim ad justitiam spectat) sed ἐν οἷς μὴ διαφέρει, id est, *in iis rebus, in quibus nihil refert*, sive, quæ citra in justitiam hoc vel illo modo fieri possunt. *lib. 4. Eth. cap. 7.*

6. Jam verò veritas omnis in æqualitate, & convenientiâ consistit. Veritas alia Logica est, alia Ethica: illa est orationis, aut si quâ aliâ re conceptus nostros aliis prodimus, convenientia cum objecto, sive cum re significatâ hæc est convenientia cum mente, & animi sententiâ. Quare cùm mens nostra sæpè hallucinetur, & de propositis rebus perperàm judicet, fieri potest, ut quod Logicè falsum

est,

est, sit tamen Ethicè verum, & vice versâ. Qua de re vide §. 14.

7. Hoc loco non Logica, sed Ethica veritas consideranda est; atque ea non in verbis tantùm, sed in tota vita. Vir enim candidus omnia agit sine fictione, nihil dissimulat, neq; verbis neque vitâ, nisi ob justas causas: atque id tamen ipsum sine dolo, atque mendacio.

8. Causa tam candidæ sinceritatis, hæc est, quòd verax omnis sit ὁ ἀληθὴς καὶ φιλαλήθης, id est, *ita veritatem amet*, ut nullius gratiâ à veritate recedat. Quid enim is simulare aut dissimulare possit, ᾧ τὸ μὴ ψεῦδος καθ' αὑτὸ φαῦλον καὶ ψεκτὸν· τὸ δ' ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν, id est, *cui mendacium per se, ac suâ naturâ malum atque vituperandum, verum honestum est, & laudabile. lib. 4. Ethic. cap. 7.*

9. Hinc sequitur, veracem etiam ἔμπεδον, id est, *æquum & justum esse*, & fidem in promissis & pactis constanter servare, neminémque ullâ re mentiendo intervertere. Etenim ὁ ἐν οἷς μὴ διαφέρει ἀληθεύων, ἔτι μᾶλλον ἀληθεύσει ἐν οἷς διαφέρει ὡς δὲ αἴσχιον τὸ ψεῦδος ἐυλαβήσεται, ὅτε καὶ καθ' αὑτὸ ἠυλαβεῖτο. Id est, *qui veritatem profitetur in rebus, in quibus id nihil refert, is multò magis profitebitur veritatem, in quibus id magnopere refert. Mendacium enim ut rem turpem vitabit, quod jam etiam per se, suâq; naturâ vitabat. lib. 4. Eth. cap. 7.*

10. Vir

10. Vir candidus utitur prudentiâ in veritatis professione. Neque enim semper & ubique prodit id quod verum est, neque apud quosvis. Magna enim in veritate varietas est, & multi in eâ gradus necessitatis. Est enim veritas quædam, quam per conscientiam, & leges taciturnitatis non licet propalare quædam, quam quidem problare licet, sed tum demum, cum magistratus, aut is qui nobis præest id exigit: quædam etiam, quæ propalari quidem potest, sed apud eos solùm quorum interest eam cognoscere: quædam denique, quæ promiscuè, & sine cautione proferri potest. Hæc omnia vir candidus, & verax pro sua prudentia debet discernere: atque hoc est, serpentem ex præscripto Christi miscere cum columbâ. *Mat. cap. 16. vers. 16.*

11. Hæc prudentiæ cautela in candore eoque sese extendit, ut liceat subinde, vel indirectà responsione, vel ambiguis quidem, sed tamen significantibus, & usitatis loquendi formulis interrogationes eludere: vel parte veritatis indicatâ, reliquum reticere, ad declinandum necessitatem indicandi eam veritatem, quæ & sibi aliisve nocitura, & nulli sit profutura. Ambiguitates illæ, quæ unâ tantùm parte usitatæ significationis sunt, alterâ planè inusitatæ, (quales apud Anabaptistas, & Jesuiras in usu sunt) nullo colore defendi possunt. Quo in genere peccabat ille,

qui cùm triginta dierum essent cum hoste pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quòd dierum essent pactæ, non noctium induciæ. *Cic. lib. 1. Off.*

12. Veritati in genere opponitur mendacitas, ut ita dicam, hoc est, studium mentiendi.

13. Mendacium est fallax significatio. Vel plenius, Mendacium est, cùm quis fallendi animo sciens volénsque verbis aut vitâ profitetur, quod aliter se habere existimat. Duo enim ad mendacium necessaria sunt, voluntas dicendi falsum, & animus fallendi: ut autem falsum sit quod dicitur, non est necessarium. Potest enim quis mentiri, qui dicit, quod verum est, si putet nempe se falsum dicere. In mendacio enim Ethica, non Logica falsitas requiritur.

14. Porrò aliud est mentiri, aliud mendacium dicere. Qui mentitur (inquit *P. Nigidius* apud *Gellium*) fallit quantum in se est; qui mendacium dicit, ipse fallitur. Vir probus præstare potest ne mentiatur, prudens ne dicat mendacium. *lib. 11. cap. 11.*

15. Mendacia sunt duorum generum: vel enim solâ libidine mentiendi fiunt, vel intentione alicujus effecti ex mendacio secuturi. Atque hæc iterum distribuuntur in mendacia perniciosa, jocosa, & officiosa. Mendacium pernicioſum dicitur, quod ad nocendum; jocosum, quod ad delectandum; officiosum

cioſum, quod ad juvandum vel ſe, vel alios comparatum eſt. *Auguſt. lib. de Mend. cap.* 14.

16. Omne mendacium per ſe ac naturâ ſuâ malum eſt: Primò, quia eſt abuſus vocum, quæ datæ ſunt ad cogitationes noſtras aliis ſignificandas. Secundò, quia auditorem deducit in errorem; error autem mentis malum eſt, ſicut veritas illius ornamentum. Tertiò, quia minuit dicentis ἀξιοπιστίαν. Hoc enim lucrifaciunt mendaces (inquiebat *Ariſtoteles*) ut ne tum quidem illis credatur, cùm vera dicunt. *Diog. Laer Ariſt.* Quartò, quia lædit humanam ſocietatem, in quâ, fide ſublatâ, nihil poteſt eſſe firmum.

17. Ex quo certè colligitur mendacia pernicioſa, & illa quæ ſolâ fiunt mentiendi libidine, viro bono fugienda eſſe, ſive privatus is ſit, ſive in magiſtratu conſtitutus, utpotè quæ per ſe mala ſunt, & nihil in ſe boni continent, quo malum illud compenſetur. Quid quòd mendacia pernicioſa præter propriam rationem mali, detrimentum alicui adferunt, eóque nomine injuſta ſunt? Itaque hæc haud dubiè nono præcepto, aliiſque S. Scripturæ locis prohibentur.

18. Aliorum mendaciorum alia videtur eſſe ratio. Hæc enim aliquid in ſe boni continent, quia alicui pro ſunt, & nulli nocent: eóq; nomine ad charitatem referenda videri poſſunt

possunt, ac proinde non esse peccata, inprimis mendacia officiosa. Imo videri posset, interdum peccatum esse, non mentiri; veluti cum aliquis se, aut proximum suum mendacio potest a morte liberare, certò periturum si non fuerit mentitus. Hæc speciosa sunt: attamen ab *Augustini* sententiâ non videtur recedendum, statuentis, omnia mendacia etiam officiosissima, peccata esse, & nono præcepto aliisque S. Scripturæ locis prohiberi. Nam quod per se malum est, non potest ullâ effecti ratione fieri bonum. Non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona. *Rom. 3. vers. 8.* Et licèt generales sint sententiæ, quibus in sacris literis mendacia prohibentur; nostrum tamen non est, exceptionem sine manifesto Scripturæ loco adhibere. Quare contendimus peccata officiosa esse mendacia, sed peccata tamen quæ levem habent culpam. Quòd si officiosa mendacia peccata sint; tantò magis jocosa debent pro peccatis haberi, quantò majus bonum est prodesse, quàm delectare. His adde, quòd Scriptura condemnat omnem ματαιολογίαν, id est, *stultiloquium Eph. 5. v. 4.* imò omne verbum, ἀργὸν id est, *otiosum, Matth. 12. vers. 36.* Multò magis mendacium jocosum: si nempe eo dicatur animo, ut ei auditor fidem habeat.

19 In mendaciorum censu habendæ non sunt fabulæ, apologi, parabolæ, hyperbolæ, ironiæ,

irouiæ,& ſi quid præterea eſt Rhetorici apparatus. In his enim neque voluntas eſt dicendi falſum, neque animus fallendi. Imò ne folſitas quidem, ſed figurata tantùm orationis ſignificatio.

20. Veritas ut dictum eſt, conſiſtit in æqualitate,& convenientia orationis,& vitæ cum mente & animi ſententia: falſitas in inæqualitate. Quare ſequitur, veritatem eſſe ſimplicem, mendacium verò duplex: poteſt enim vel plus eſſe in oratione, quàm in re eſt, vel etiam minus. Veracitati ergò duo opponuntur vitia: in exceſſu, ἀλαζονεία, id eſt, *arrogantia*; in defectu, εἰρωνεία, id eſt, *diſſimulatio. lib. 2. Eth. cap. 7.*

21. Arrogantes dicuntur, qui ſimulant ſibi, aut ea ineſſe bona, quæ non inſunt, aut majora, quàm inſunt. Iidem dicuntur adulatores, cùm aliis plus tribuunt, quàm reverà habent. Omnis enim adulator mendax eſt. Sed de adulatione ſequenti cap. Arrogantes ſunt duorum generum: quidam ſe jactant μηδενὸς ἕνεκα, id eſt, *nullius gratiâ*; alii, honoris vel lucri gratiâ. Qui nullius gratiâ ſe jactant, vanitate potiùs peccant, quâm malitiâ malis tamen ſimiles ſunt; aliter enim mendacio non delectarentur. Qui ſe honoris aut lucri cauſâ jactant, deteriores ſunt. Non ſolum enim mendacio, ſed etiam ambitione peccant, aut intemperantiâ, imò etiam injuſtitiâ,

ſtitiâ, iis enim muneribus ſeſe ingerunt, quibus gerendis non ſunt pares

22. Εἴρωτες, id eſt *diſſimulatores*, dicuntur, qui, quæ in ſe laudabilia ſunt, diſſimulant, vel etiam nimium extenuant. Atq; hi etiam duorum generum ſunt: quidam enim magna diſſimulant, & aliis incognita, ne videantur ἀλαζόνες, alii etiam minima quæq; & apertiſſima, ut videantur modeſti. Tales homines Καυκιπανῦργοι, id eſt, *veteratores* vocantur. Atq; hi ſuperioribus m. deterio ſunt.

13. Ex quibus hiſce vitiis εἰρωνεία multò tolerabilior eſt, quàm arrogantia. Majorem enim habent cum veracitate convenientiam, minùs noxia eſt civili ſocietati, & minùs incommoda converſationi.

24. Arrogans, ut dictum eſt, peccat ſimulando, εἴρων diſſimulanda ex quo tamen colligendum non eſt, omnem ſimulationem & diſſimulationem peccatum eſſe, ſed eam tantùm, quæ cum mendacio conjuncta eſt; veluti ſi quis dicat ſe habere quod non habet, aut, non habere quod habet. At ſi quis dicat, ſe minus habere quàm habet, non peccat, quia minus in majore continetur: peccat tamen, ſi dicat ſe illud *minus tantùm* habere, & non etiam aliquid majus: jam enim mentitur. Præterea diſſimulare dicitur, non is ſolùm, qui dicit ſe non habere, quod habet; ſed is etiam, qui non dicit ſe habere, quod habet:

ille

ille haud dubiè peccat; hic non peccat nisi tum fortè, cùm veritas non est defugienda.

CAP. XX.

De Comitate & Urbanitate.

§. 1.

COmitas *Grecè* dicitur εὐ προσηγορία & φιλο προσηγορία, id est, *affabilitas*. *Aristoteles* nullum ei proprium nomen tribuit. Quoties enim de comitate agit, φιλίαν eam impropriè nominat: ut *lib.* 2. *Eth. cap.* 7. & *lib.* 4. *cap.* 6. & passim alibi. Idque vel quia amicitiæ perquàm similis est, vel quia amicitiam facillimè conciliat. Difficile enim dictu est, inquit *Cicero*, quantoperè conciliet homines comitas, affabilitásque sermonis *lib.* 2. *Off* Discrimen quod inter comitatem & amicitiam intercedit, in hisce positum est. Primò, amicitia cum amore conjuncta est, comitas ἄνευ πάθους ἐπὶ, καὶ τοῦ στέργειν οἷς ὁμιλεῖ. Id est, *caret amoris affectu in eos, quibuscum conversatur.* Secundò, amicitia tantùm inter notos contrahitur; comitas ὁμοίως πρὸς ἀγνῶν τας καὶ γνωρίμους, καὶ συνήθεις,

καὶ

καὶ ἀσαυνήθεις, id est, *æquè ergò notos atque ignotos, æquè etiam erga eos quorum familiaritate utimur, atque erga eos, quorum familiaritate non utimur*, exerceri solet. Tertiò, amicitia non distinguit personas, comitas distinguit. Οὐ γὰρ ὁμοίως προσήκει συνήθων καὶ ὀθνείων φροντίζειν. Id est, *non convenit, eandem habere rationem alienorum, atque eorum qui nobis familiaritate conjuncti sunt lib. 4. cap 6.*

2. Comitas est virtus mediocritatem servans in voluptate aliis in civili conversatione exhibendâ.

3. Objectum comitatis sunt sermo, gestus, actiones, atque omne illud, quo alios in civili conversatione solemus delectare, vel etiam offendere, aut molestiam creare.

4. Officium comitatis est, in omni hominum congressu στοχάζεσθαι τοῦ μὴ λύπειν ἢ συνηδαύειν. Id est, *hunc habere sibi propositum scopum, ne quem offendat, aut potiùs, ut delectet. lib. 4. Eth. cap. 6.*

5. Atque hac in re duo viro comi observanda sunt: alterum ut omnia referat πρὸς τὸ καλὸν, καὶ τὸ σύμφερον. Id est *honestatem & utilitatem*: alterum: ut unicuique tribuat τὸ πρέπον, id est, *quod docens atque decorum est. lib. 4. Eth. cap. 6*

6. Quare αἱρεῖται μὲν καθ' αὐτὸ τὸ συνηδύνειν, καὶ τὸ λυπεῖν εὐλαβεῖται τοῖς δὲ ἀποβαίνουσιν,

βαίνουσιν, ἐὰν ἢ μεῖζω, συνήμεται. λέγω δὲ τοῦ συμφέροντι. Id est, *delectationem per se sequitur, atque eligit, offensionem contrà vitati cæterùm ad ea, quæ sunt eventura, ad honestatem, inquam, & ad utilitatem, si majora sint, accommodat.* Etenim τῶν ἡδονῶν δ' ὅσας αὐτῷ ἔστι μὴ καλὸν, ἢ γλαβερὸν συνηδύνειν, δυσχερανεῖ, καὶ προαιρήσεται λυπεῖν, κἂν τῷ ποιοῦντι δὲ αἰσχημοσύνην φέρη, καὶ τάυτην μὴ μικρὰν ἢ βλάβην, ἢ δὲ ἐναντίωσις μικρὰν λυπήν, οὐ ἀπὸ δέξεται, ἀλλὰ δυσχερανεῖ. Id est, *si quando sine turpitudine, aut damno suo alios oblectare non potest, ejusmodi obsecundationem improbabit, multóque malit offendere. Quod si quid erit, quod ei qui faciat, magnum dedecus, aut damnum adferat, & aversatio parùm ei molesta futura sit, non probabit illud factum sed molestè ferat, & reprehendet.* Quâ in re prudentes medicos imitatur. Ut enim illi modicum dolorem ægris valetudinis restituendæ causâ infligunt: ita hic ἡδονῆς ἕνεκα τῆς εἰς αὖθις μεγάλης, μικρὰ λυπήσει, id est, *magnæ in posterum voluptatis causâ leviter offendat. lib. 4. Eth. cap. 6.*

7. Ut servet τὸ πρέπον, διαφερόντως ὁμιλεῖ, τοῖς ἐν ἀξιώμασι, καὶ τοῖς τυχοῦσι, καὶ μᾶλλον ἢ ἧττον γνωρίμοις, id est, *aliter communicat cum iis, qui in aliqua dignitate constituti sunt, aliter cum vulgo, aliter cum notioribus, aliter cum minùs notis. lib. 4. Eth. cap. 6.*

Cum

Cum superioribus communicat modestè, & reverenter; cum æqualibus, amicè, & liberè cum inferioribus blandè & graviter: ubique vitat levitatem.

8. Comitati in excessu opponitur ἀρεσκεία id est, *nimium aliis placendi studium*, in defectu, δυσκολία, id est, *morositas*.

9. Ἄρεσκοι dicuntur, qui, ut aliis placeant, nec gravitatem suam tuentur, nec curant honestatem, neque decorum: omnia aliorum facta, dictaque probant, aut probare sese simulant, & sua aliis probare quovis modo nituntur. Horum alii nihil aliud spectant, quàm ut aliis grati acceptique sint, alii quæstum etiam atque emolumentum: hi κόλακες dicuntur, *Latinè adulatores*, *lib. 4. Eth. cap. 6.*

10. Morosi dicuntur, qui vel ab hominum conversatione abhorrent, vel si fortè cum hominibus congrediuntur, ne in honestis quidem rebus verborum, aut vultûs hilaritate aliis placere student; quin contra aliorum facta, dictáque vel improbant, vel etiam reprehendunt: & quod caput rei est, aculeatâ quâdam loquendi libertate, omnibus sese reddunt, exosos & infestos.

11. Utrumque hoc vitium magnum est, & malum; alterum, quia noxium, alterum quia molestum est, & parùm idoneum ad conversationem civium. Deterior tamen est assen-

tatio

tatio, & tantò magis fugienda, quantò lædit occultiùs, nocentiúsque.

12. Urbanitas, *Græcis* ἐυτραπελία, est virtus seruans mediocritatem in ludis & jocis.

13. Objectum urbanitatis sunt ludi & joci: officium modum servare, tum in ludis spectandis atque exercendis, tum in jocis dicendis, atque audiends. Nam etsi in ludis atque jocis facilis fit in excessum lapsus; potest tamen in defecto quoque peccati, etiam à viro gravi & cordato. Ex quo sequitur, quâ virtute opus esse, quæ in ludendo & jocando modum præscribat, ne in excessu aut defectu peccetur. Omnis enim nostra vita εἰς ἄνεσιν καὶ σπουδὴν διῄρηται id est, *in remissionem & occupationem divisa est.* Homo enim seriis rebus occupatus sensim fatigatur; quiete reficitur. ἡ γὰρ ἀνάπαυσις, τῶν πόνων ἐστὶ μάθημα. Id est, *requies enim laboris condimentum est. Plut. lib. de puer. educ.* In quietè solent homines ludis & jocis vacare, quò magis animum reficiant. Ipsa enim cessario per se non nisi ignavis hominibus grata est: seduli tedium cessationis ludis & jocis diluunt. Neque verò putandum est omnes ludos atque jocos sacris literis prohiberi. Quin contrà, quia ludorum & jocorum mentionem sæpè faciunt, & ludentium & jocantium exempla commemorant, idque sine ullâ reprehen-

one,

bensione, colligi posse videtur, aliquam ludendi & jocandi rationem nobis indulgeri. Videantur loca, *Gen.* 26. 8. *lib.* 1. *Sam.* 18. 6. & *lib.* 2. *c.* 6. *lib.* 1. *Reg.* 18. 27. *l.* 1. §. 1. 3. 8. *Jerem.* 31. 4. *Zach.* 8. 5. Nec obstat, quod Apostolus εὐτραπελίαν damnet, *Eth.* 5. 4. Eo enim loco εὐτραπελίας nomine, non omnis ludorum & jocorum usus, sed nimia licentia damnatur, quæ tum temporis inter *Ephesios* vigebat.

14. Ut autem distinctè hujus virtutis natura intelligatur priùs de ludis, deinde de Jocis dicemus. Ludorum tria sunt genera suis finibus distincta. Nam cùm omnis ludus ad oblectationem referatur, quidam solo aspectu, aut auditu oblectant, ut spectacula & acroamata, quò etiam referri potest Musica. Alii oblectant spe victoriæ, aut potiùs spe honoris aut lucri, quæ victor tanquam præmia victoriæ consequi solet. Atque hi rursus sunt triplices; alii enim victoriam habent in solo casu positam; ut alea: alii in sola industria aut peritia ludendi; ut ludus pilæ, latrunculorum, &c. Alii partim in casu partim in industria, ut lusus chartarum & quem nos *verkeeren* vocamus. Postremum genus ludorum est, qui solo opere, atque exercitio delectant, ita ut in iis nulla victoria consideretur; ut, saltare currere, &c.

15. Spectacula & acroamata non viden-

tur esse damnanda, si nihil habeant obscœnitatis aut impiæ vanitatis, nihil inhumanæ feritatis, nihil denique aculeatæ libertatis. Quibus cautionibus rejicimus primùm omnes actiones scenicas, in quibus multa impia, multa obscœna, pleraque vana, auribus oculisve objiciuntur: Deinde spectacula gladiatorum, in quibus aut homines cum bestiis, aut homines cum hominibus, ad mortem usq; repugnare solebant, tantùm ad spectatores oblectandos: Postremò morem veteris comœdiæ, in qua Poëtæ non improbos tantùm, sed optimos nominarò

Multâ cum libertate notabant.

Veluti cùm *Aristophanes* in Nubibus acerbissimè traducit optimum Philosophorum *Socratem*. Hæc, inquam, omnia damnamus, non quia urbanitati, sed quia pietati, temperantiæ, comitati aliisve virtutibus contraria sunt: sed si ista quæ dixi absint à spectaculis, veluti si quis tragœdiam *Sophoclis* aut *Senecæ*, aut comœdiam *Terentii* aut *Plauti* agat, aut agi spectet, non putem peccaturum.

16. Non damnaverim etiam ludos, quibus corpus animúsve exercetur, sive certâmina sint, in quibus victoria proponitur, non in casu sed in peritia; sive mera exercitia, modò non sint periculosa, ut hastiludia, torneamenta, &c. Sed quid si in certaminibus ludicris, victoriæ præmium spectetur, an tum lusus

non

non sit illicitus? Si præmium victoriæ sit honor, vel etiam si lucrum ex publico proponatur, non vitiatur ludus: sed tum vitiatur, si in pretium luditur, hoc est, si ipse victus teneatur victori pretium pendere, & quidem tantum, ut magis quisq; lucrum spectet, quàm victoriam aut ludendi exercitium. Nam quia modus acquirendi per ludum videtur æquitati repugnare, ad avaritiam pertinet, lucri spe ludis indulgere. Si tamen aliquod lucellum victori proponatur, tanquam præmium, idque tam exiguum ut nec victus doleat amissum, nec victori gaudeat acquisitum, non videatur id planè damnandum. Hâc enim ratione nihil aliud efficitur, quàm ut ludentes attentiores sint, ideóque animus atque corpus melius exerceatur.

17. Ludus aleæ, cæteríque ludi, qui in solo casu consistunt, planè sunt improbandi; idque non solùm, cùm in pretium luditur, quod semper apud cordatos turpe judicatum fuit, & jure civili prohibitum *ff. & C. de Aleatoribus*; sed etiam cùm nullum pretium in lusum deponitur. Alea enim neque ludentes exercet; neque justam habet causam delectationis. Neque enim sensus voluptatem capiunt ex ista actione; neque victoria delectare debet cordatum, quam solus casus dedit.

18. Atque hæc de ludis: jocandi genus

duplex est, alterum illiberale, alterum liberale. Illiberale jocandi genus dicitur, quod vel impium, vel profanum est, vel obscœnum, vel contumelioſum, vel imperitum. Liberale in quo nihil impietatis aut profanitatis, nihil obscœnitatis, nihil contumeliæ: quódque eruditionem aliquam conjunctam habet, atque elegantiam: ut sunt παροιγματα, hoc est, *facetè aut acutè dicta*, historiæ jucundæ & id genus alia. Hoc unum jocandi genus adhibendum, prius illud studiosè vitandum.

19. Præterea diligens in ludis atque jocis circumstantiarum, & imprimis loci & temporis habenda est ratio, atque insuper servandum decorum. Est enim φροντιστον tum iocari, atque ludere, cùm aut sacra peraguntur, aut luctui indulgetur, aut de rebus gravioribus seriò deliberatur, atque ut verbo dicam, cùm tempus locúsque seria requirunt. Ut decorum servetur, habenda est ratio personarum. Neque enim quilibet joci atque ludi quoslibet decent: neque apud quoslibet. Alii enim decent senes, alii juvenes; alii privatos, alii magistratum, alii viros, alii mulieres. Præterea, aliter inter familiares jocandum est, aliter inter ignotos: aliter cum æqualibus, aliter cum superioribus & magnatibus. Quæ omnia discrimina prudenter debent discerni.

20. Jam

20. Jam in audiendis etiam jocis discrimen prudenter adhidendum est. Alii enim probandi sunt, alii ferendi, alii denique reprehendendi. Probandi sunt joci liberales, tempestivi, & decori: ferendi, imperiti & inficeti, intempestivi, indecori; item illi, qui aliquid habent mordacitatis: joci impii, profani, obscœni, petulantes, contumelioſi, reprehendendi sunt.

21. Urbanitati in excessu opponitur βωμολοχία, id est, *scurrilitas*; in defectu, ἀγροικία, id est, *rusticitas*.

22. Scurræ quidem dicuntur omnes, qui in ludis atque jocis non adhibent modum, nullámque rationem habent decori aut circumstantiarum; sed illi præcipuè, qui ex quovis illiberali jocandi genere risum captant, nullísque parcunt, ne sibi quidem ipsis.

23. Scurrarum duo sunt genera: alii enim nihil aliud spectant, quam ut delectent, & risum moveant, alii hoc vitæ genere sibi victum quæruntur. Atque hi parasiti dicuntur, genus hominum suprà quam dici potest servile. Horùm mores in comœdiis graphicè describuntur.

24. Rustici & agrestes hoc loco dicuntur, homines ab omni ludorum & Jocorum genere alieni, ut qui nec ipsi jocari, neque aliorum ludos aut jocos perferre possunt.

CAP. XXI.

De Justitia universali, & Jure.

§. 1.

T que hactenus de virtutibus moralibus, quæ nos dirigunt in ordine ad nos ipsos: sequitur justitia, quæ nos dirigit in ordine ad alios. Justitia est ἕξις ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγοῦσι, καὶ βούλονται τὰ δίκαια, id est, *habitus, quo homines prompti sunt ad res justas gerendas, quâque res justas gerunt, & volunt lib. 5. Eth. cap. 1.* Ab hac definitione non differt illa, quam tradunt I. Cti *ff. de I. & jure, l. 10.* Justitia est constans, & perpetua voluntas suum cuique tribuendi. Nam *suum cuique tribuere*, idem est I. Cti, quod est δικαιοπραγεῖν apud *Aristotelem*; & *constans & perpetua voluntas* apud illos est, quod apud hunc *habitus*. Est autem habitus remotum Justitiæ genus: pro quo vellem *vocem virtutis* posuisset, quæ proximum Justitiæ genus denotat.

2. Justitia est cæterarum virtutum usus erga alios. Πολλοὶ γὰρ ἐν μὲν τοῖς οἰκείοις τῇ

τῇ ἀρετῇ δύναται χρῆσθαι· ἐν ᾗ τοῖς πρὸς ἕτερον ἀδυνατοῦσι. Id est, *plerique enim in suis quidem rebus virtute uti possunt in iis autem, quas habent cum alio, non possunt.* At qui Justitiâ præditus est, non solùm erga seipsum, sed etiam erga alios potest virtutem collere *lib.* 5. *Eth. cap.* 1. Justitia enim foras spectat (ut ait *Cicero*) totámque se ad alienas utilitates porrigit, atque explicat. *lib.* 2. *de leg.* Quâ de causâ videtur esse ἀγαθὸν ἀλλότριον, id est, *bonum alienum.* Cæterarum enim virtutum operationes habent τὸ εὖ in solâ εὐταξίᾳ affectuum, & circumstantiis ipsi operanti convênientibus, & decoris; operationes justitiæ non in his solùm rebus perfectionem suam habent, sed etiam in ęqualitate quâdam inter damnum & lucrum aliorum. Verbi gratiâ, si quis τοῦ κερδαίνειν ἕνεκα μοιχεύοι καὶ προσλαμβάνοι, id est, *quæstus gratiâ adulterium committat, indeq́ mercedem ferat,* injustus potiùs est, quàm intemperans; quia illius actionis ἀταξία est in ordine ad alium si veò committat adulterium προστιθεὶς, καὶ ζημιούμενος δι' ἐπιθυμίαν, id est, *dans aliquid de suo, jacturámque rei suæ faciens, idq́ libidine concitatus,* intemperans quidem erit, at non injustus speciali modo; sed tantùm modo generali, quatenus scilicet intemperantia sub universali injustitiâ continetur: idque quia ἀταξία est in ordine ad ipsum operan-

rem. *lib. 5. Eth. cap. 2.*

3. Justitia est virtus pulcherrima, perfectissima, & optima. Ut enim nequissimus mortalium est ὁ πρὸς αὐτον, καὶ πρὸς τοὺς φίλους χρώμενος τῇ μοχθηρίᾳ, id est, *qui improbitate adversus seipsum utitur, & adversus amicos:* ita optimus est, οὐχ' ὁ πρὸς αὑτὸν χρώμενος τῇ ἀρετῇ, ἀλλ' ὁ πρὸς ἕτερον· τοῦτο γὰρ ἔργον. Id est, *non qui erga se, sed qui erga alios virtutem colit: hoc enim opus, hic labor est. lib. Ethic. cap. 1.*

4. Justitia est ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Id est, *Ex eorum numero, quæ multis modis dicuntur.* Etsi autem hæc homonymia obscurior sit, propter significationum affinitatem; deprehendi tamen potest ex homonymia injustitiæ. Nam si unum contrariorum est ambiguum, etiam alterum est ambiguum. *l. 1. Top. c. 15.* Injustus enim dicitur, καὶ ὁ παράνομος, καὶ ὁ πλεονέκτης, καὶ ἄνισος. Id est, *& is qui legem violat, & qui sibi plus vendicat quàm par est, quique inæqualis est.* Quare justus dicetur, καὶ ὁ νόμιμος, καὶ ὁ ἴσος, Id est, *et qui leges servat: et qui æqualis est:* & justitia tum εὐνομίαν, tum æqualitatem denotabit. *lib. 5. Eth. cap. 1.*

5. Justitia, quæ denotat εὐνομίαν, vocatur justitia universalis: quæ denotat æqualitatem, vocatur particularis. Hujus divisionis hæc est ratio. Justitia, ut dictum est, ordinat

ordinat homines ad invicem, & dirigit eorum actiones ad bonum alienum. Quare, cùm homo vel cum tota Repub. comparari possit, ut pars cum toto; vel cum quolibet privato, ut pars cum parte; cúmque utrobique sint certa quædam officia servanda; omninò duæ species Justitiæ statuendæ sunt; quarum una dirigat humanas actiones ad commune bonum & utilitatem totius Reipub. altera ad bonum & utilitatem singulorum: illa universalis, hæc particularis Justitia vocari solet.

6. Justitia universalis est virtus obediendiam omnibus legibus ad publicæ societatis conservationem præstandi. Hinc colligit *Aristoteles* πάντα τὰ νόμιμα ἔστι πώς δίκαια, id est, *omnia quæ legibus constituta sunt, esse aliquo modo justa.* Dicit *aliquo modo*, quia fieri potest, ut lex turpia imperet: subjicit ergò illa demum esse justa, quæ definita sunt κατὰ τὴν νομοθετικὴν, quod tantundem ac si diceret, *ab iis, qui legum ferendarum periti sunt. lib. 5. Ethic. cap. 1.*

5. Justitia enim universalis nihil aliud est, quàm ὅλη ἀρετὴ, id est, *universa virtus* moralis: quia, quemadmodum in proverbio est:

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι.

Justitia una alias virtutes continet omnes.

Unus enim idémque habitus est: qui tamen, quia τὸ εἶναι, hoc est, *modus existentiæ* non est idem, ἢ μὲν πρὸς ἕτερον, δικαιοσύνη· ἢ δὲ τοιαδὲ ἕξις, ἁπλῶς ἀρετή. Id est, *quatenus ad alium refertur, justitia; quatenus talis quidam habitus est, absolutè virtus* nuncupari solet. *lib. 5. Eth. cap. 1.* Etenim lex ἀγορεύει περὶ ἁπάντων. Id est, *de omnibus rebus loquitur. lib. 5. Eth. cap. 1.* καὶ καθ' ἑκάστην ἀρετὴν προστάττει ζῆν, καὶ καθ' ἑκάστην μοχθηρίαν κωλύει. Id est, *jubet unicuiq; virtuti convenienter vivere, vetat. q; vivere secundùm unumquodq; vitium l. 5. Et. c. 2.* Quare cùm justitia pareat omnibus legibus, necesse est, cæteris virtutibus præditum esse, qui præditus est universali Justitiâ; & vice versâ, præditum esse Justitia universali, qui cæteris virtutibus præditus est, si eas referat ad communem utilitatem Reip.

8. Causa universalis Justitiæ sunt τῶν νομίμων ὅσα νενομοθέτηται περὶ παιδείας, τῆς πρὸς τὸ κοινόν, id est, *ea omnia legum præcepta, quibus disciplina civium continetur, quæ Rempublicam spectat, & ad communem utilitatem dirigitur. l. 5. Eth. cap. 2.* Duplex enim est civium institutio, altera publica, altera privata. Institutio publica est, quâ cives inde à pueris assuefiunt formæ & legibus Reip. in quâ nati sunt, aut in quâ degunt: privata, quâ cives imbuuntur bonis moribus, qui in omni Rep. debent obtinere. Et sicuti institutio

privata

privata facit bonos viros; ita publica facit bonos cives. eáque causa est universalis justitiæ & fundamentum civitatis. Nam in animis civium generat talem ac tantum amorem patriarum legum, ut suas quisque optimas esse putet, neque eas ullo modo mutare velit.

9. Justitia universalis in omnibus quidem hominibus est necessaria; sed imprimis requiritur in Principe, aut in supremo Magistratu: Idque non solùm, quia illius curæ Resp. peculiari quâdam ratione commissa est: sed etiam, quia, qui in Magistratu constituti sunt, & legibus soluti, saltem eatenus, ut pœnâ coërceri non possint: majorem habent opportunitatem, & licentiam peccandi. Multos enim videas, quos judices, quàm diu privati sunt, esse quantivis pretii: qui, ubi ad principatum, aut supremum Magistratum evecti sunt, omne genus nequitiæ apertè profitentur: ut verissimum sit illud, sive *Biantis*, sive *Solonis*, ἀρχὴ ἀνδρα δείξει; Id est, *Magistratus virum demonstrabit. lib. 5. Eth. cap. 1.*

10. Ut hæc Magistratûs licentia coërceatur, non est imperium homini, sed rationi permittendum. *lib. 5. Eth cap. 6.* Magistratúsque debet non secundùm voluntatem suam, sed secundùm legem imperare. Magistratus enim qualiscunque tandem sit, affectibus

bus obnoxius est, quia homo est ideóque corruptibilis ab intuitu personarum. At lex semper sibi similis est, & ad omnia immobilis, quibus homines solent moveri ad προσωπολη ψίαν, id est, *acceptionem personarum:* Itaque videtur Deum Reipub: præficere velle, qui jubet imperare leges; qui verò hominem præesse jubet, προστίθησι τὸ θηρίον, id est, *feram adjungit.* Nam cupiditas reverà fera est, & iracundia magistratûs, & optimum quemque depravat. *l. 3. Pol. cap. 16.* Ex quo sequitur interitum paratum esse illi civitati, ἐν ᾗ ἀρχόμενος ἂν ᾖ καὶ ἄκυρος ὁ νόμος, id est, *in qua lex autoritate suâ destituta subest imperio Magistratûs*: contra incolumem servari eam, omnibùsque bonis abundare quæ Deus civitatibus largiri solet, in qua Magistratus legibus subjicitur. *Plato lib. 4. de leg.* Legitimus ergò Magistratus est φύλαξ τοῦ δικαίου, i. e, *custos juris*, οὐ γὰρ νέμει πλέον τοῦ ἁπλῶς ἀγαθοῦ αὐτῷ, εἰ μὴ πρὸς αὐτὸν ἀναλογόν ἐστι. Id est, *non plus sibi tribuit eorum, quæ absolutè bona sunt, quàm aliis, nisi illud ei ex proportione debeatur. lib. 5. Eth. cap. 6.* Addo neque minus mali. Et ob hanc rem debetur illi τιμὴ καὶ γέρας, id est, *honor & decus.* Ὅσοις δὲ μὴ ἱκανὰ ταῦτα, οὗτοι γίνονται τύραννος, id est, *qui hisce rebus non sunt contenti, ii fiunt tyranni. l. 5. Eth. cap. 1.*

11. Ob-

11. Objectum universalis justitiæ, aut potiùs effectum, est τὸ δίκαιον, id est, *jus*, sive id quod justum est. Jus (non à Justitia, sed à jubendo dictum) propriè dicitur naturæ populi: ejusve qui vicem gerit populi, jussum. Impropriè sumitur, primò per metonymiam subjecti pro eo, quod Juri propriè dicto, sive legibus conveniens atque consentaneum est: Secundò, per metonymiam adjuncti, vel pro juris scientiâ; veluti, cùm jus à *Celso* definitur, ars boni & æqui: vel pro loco, in quo jus dicitur; veluti cùm dicimus, aliquẽ in jus vocare: tertiò per metonymiam causæ pro potestate jure concessâ; ut in definitione itineris, actûs, viæ, aquæductûs, ubi dicitur, iter est actus eundi, ambulandi homini; actus est jus agendi vel iumentum vel vehiculum. &c. *ff. de serv. præd. rust. leg.* 1. Hoc loco ius sumitur pro eo quod iuri propriè dicto consentaneum est, quod si spectetur ut præstandum, est obiectum; si ut præstitum, est effectum Justitiæ.

12. Jus dividitur in politicum & œconomicum: quorum illud simpliciter; hoc, secundùm quandam similitudinem, Jus appellant. Jus politicum dicitur, quòd obtinet ἐπὶ κοινωνῶν ζώων πρὸς τὸ εὖ ζῆν αὐτάρκειαν, ἐλευθέρων καὶ ἴσων, ἢ κατὰ ἀναλογίαν, ἢ κατ' ἀριθμόν. i. e. *inter homines liberos, numero, aut proportione æquales, vitæq; communione iunctos, aut*

iis

iis omnia suppetant, quæ ad vitam sunt necessaria. lib. 5. Eth. cap. 6. Hoc est, ut verbo dicam, inter cives atque membra eiusdem civitatis.

13. Jus politicum dividitur in Jus naturale & legitimum. Jus naturale dicitur, quod ubique & semper eandem vim obtinet, idque naturâ suâ, καὶ μὴ τῷ δοκεῖν ἢ μή, id est, *non quia ita decretum vel non decretum est.* Jus legitimum vocatur ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδὲν διαφέρει, οὕτως ἢ ἄλλως ὅταν δὲ θῶνται, διαφέρει. Id est, *quod ab initio, hoc an illo modò fiat, nihil refert; cùm verò constitutum est, tum refert.* Jam verò ius naturale apud omnes idem atque immutabile dicitur, non quia ab omnibus & semper præstari solet, sed quia omnes homines semper & ubique obligat ad aliud præstandum. Huius rei causa est quòd recta ratio, quę norma naturalis Juris est, una sit ubique, & semper eadem, sicuti ubique una & semper eadem est humana natura. At Jus legitimum nec idem est apud omnes, & sæpè, vel tacito populi concensu, vel latâ contrariâ lege mutatur. Ejus enim norma est salus Reip: & publica utilitas civium: quæ non semper & ubique una eadémque reperitur, quia non est una semper & ubiq; eadem forma Reip.

14. Jurisconsulti dividunt jus in commune & proprium. Jus proprium appellant

jus

Jus civile. Jus commune rursus subdividunt in jus naturale, & jus gentium. Ita ut jus omninò tripertitum illis sit. Collectum enim est vel ex præceptis naturalibus, vel ex præceptis gentium, vel ex præceptis civilibus. Jus naturale est, inquiunt, quod natura omnia animantia docuit. Hinc descendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, eorundémque educatio. Jus gentium esse dicunt, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit; sive quòd omnes gentes communiter utantur. Ideóque à naturali jure recedit, quia illud omnibus animalibus; hoc solis hominibus inter se commune est. Ex hoc jure, introducta sunt bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, commercia, &c. Jus civile sive proprium, quod quisque populus sibi constituit. Et quanquam unaquæque Resp. habeat jus suum, quia tamen jus *Romanum* multis in locis & Rebuspub. *Europæ* receptum est, factum est, ut jus *Romanum κατ' ἐξοχὴν* jus civile nuncupetur. Atqui hoc rursus vel scriptum est, ut lex, plebiscitum Senatus-consultum, placita principum, edicta prætorum, responsa prudentum: vel non scriptum sed usu, & concensu utentium, comprobatum. *ff. de Just. & Jure.* Hæc I Cti, sed non videntur satis accuratè jus naturale definiviſſe.

definiviſſe. Nam Jus naturale nullo modo competit brutis animantibus. Jus enim & injuria non habent locum, ubi locum non habet lex. Leges poni nequeunt brutis animantibus. Itaque ſtatuendum eſt, tam jus naturale, quàm gentium ſolis hominibus convenire, ſed hoc intereſſe, quod jus gentium in iis rebus ſit poſitum, quæ ad ſolos homines ſpectant; jus naturale in iis, quæ etiam in bruta cadunt, tametſi in brutis non habeant rationem juris. Itaque jus naturale & Jus gentium idem ſunt ratione formæ (eandem enim habent normam, nempe naturalem rationem, quæ in omnibus hominibus eſt eadem ut antè dixi) ſed differunt materiâ. Nam Jus naturale poſitum eſt in iis rebus, quæ homini communes ſunt cum beſtiis, (quas tamen homines faciunt vi rationis naturalis, quam diximus eſſe formam Juris; beſtiæ, cœco quodam inſtinctu, & à Juris naturâ alieno,) jus gentium in rebus homini propriis. Jus civile, materiâ convenit cum Jure gentium (utrumque enim verſatur circa res homini proprias) ſed, ab eo formâ differt. Nam forma Juris gentium eſt convenientia cum ratione naturali; forma Juris civilis, convenientia cum ratione civili, quæ eſt ipſa ſalus Reip. A Jure naturali Jus civile & materiâ differt & formâ.

15. Juris legitimi adjunctum eſt ἐπιεικεια,

κεια, id est, *æquitas*. Æquitas est ἐπανόρθωμα νόμου ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου: i.e. *correctio legis, quâ aliquid ei deest, propterea, quia generaliter loquitur l. 5. Et c. 10.* Jure enim constituuntur in iis, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, non quæ ἐκ παρὰ λόγου accedunt; neque in iis quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt. *ff. de leg. l. 3.* Itaque lex corrigi dicitur, primò, cùm quis universalem sententiam ad casus non expressos secundùm rationem utilitatis & finem legislatoris accommodat. Nam etsi non possint omnes articuli sigillatim legibus comprehendi; attamen, cùm in aliqua causa sententia earum manifesta est, bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel Jurisdictione supplendi *ff. de leg. l. 12. & 13.* Secundò dicitur lex emendari, cùm quis eam benignè interpretatur, ejùsque mentem potiùs, quam verba respiciat. Nam scire leges non est earum verba, sed vim ac potestatem tenere. Itaque sicuti contrà legem, qui facit, quod lex prohibet, ita in fraudem legis facit, qui salvis legis verbis, sententiam eius circumvenit. *ff. de leg. l. 17. & 29.* Itaq; finis legis respiciendus est atque id, ὃ κἂν ὁ νομοθέτης ὅτως ἂν εἰπεῖ, ἐκεῖ παρὼν, καὶ εἰ ἤδει, ἐνομοθέτησεν ἄν, i.c. *quod etiã legislator, si illic adesset, eloqueretur, & si sciviſſet, lege caviſſet.* Nec tamen ob hunc defectum culpandus est legislator. Τὸ δὲ ἁμάρτημα οὐκ ἐν τῷ νόμῳ,

οὐδ'

οὐδ' ἐν τῷ νομοθέτῃ, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει τοῦ πράγματός ἐστιν. εὐθὺς γὰρ ἡ τῶν πρακτῶν ὕλη τοιαύτη ἐστίν. Id est. *Nam culpa non in lege, neque in legislatore, sed in ipsæ rei natura est. Jam enim talis est rerum agendarum materia. lib. 5. Eth. cap. 10.*

16. Æquitati opponitur: Primò, Sycophantia, hoc est, malitiosa legis interpretatio, (*l.* Cti calumniam vocant) quâ verba legis in sensum detorquentur alienum à mente legislatoris. Secundò, τὸ ἀκριβοδίκαιον, quasi dicas exactum, & strictum jus. Dicitur autem strictum jus, cùm leges severè retinentur, circumstantiis loci, temporis, aut personarum, ipsâque legislatoris mente mitigationem requirentibus. Atque hoc sensu verum est illud; Summum jus est summa injuria.

17. Jus œconomicum est, quod colitur inter eiusdem familiæ membra: estque vel δεσποτικὸν id est, *herile*, quod est inter dominum & servum; vel πατρικὸν, id est *paternum*, quod est inter patrem & liberos; vel γαμικὸν, id est, *nuptiale*, quod est inter coniuges, *l. 5. Et. cap. 6.*

18. Jus œconomicum non est simpliciter Jus, sed Jus κατὰ μεταφορὸν καὶ καθ' ὁμοιότητα, id est, *translatione verbi ac similitudine quâdam*. Nam quia filius pars quædam patris est, ἕως ἂν ᾖ πηλίκος, καὶ μὴ χωρισθῇ,

id

id est, *usque dum adoleverit, & à patre sejunctus non fuerit*, & servus est domini κτῆμα, id est, *possessio*, non potest esse locus injuriæ propriè dictæ inter patrem & liberos, dominum & servos. Non enim multò magis fieri potest, ut quis sua, quàm ut seipsum iniuriâ afficiat. Nam ubi non est lex, ibi non est iniuria: atqui inter patrem & liberos, dominum & servos, non intercedit lex; quia inter eos non est ἰσότης τοῦ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, id est, *imperandi & parendi æqualitas*. Cùm autem major sit æqualitas inter maritum & uxorem, maior etiam inter eos est Juris communitas, non tamen tanta, quanta est inter cives *lib. 5. Eth. cap. 6.* Atque hæc quidem omnia intelligenda sunt de iis rebus, quæ familiam spectant, quatum omnium dominus est paterfamilias. In quibus tamen hactenus iniuriæ locus est quatenus Reip. interest certis legibus familias administrari, & unumquemque suis rebus non abuti.

19. Justitiæ universali opponitur universalis iniustitia, quæ nihil aliud est quàm vitium, quo non præstatur obedientia legibus, & humana societas turbatur.

20. Universalis iniustitia ita se habet ad cætera vitia, ut universalis Justitia se habet ad cæteras virtutes: quare sicut hæc idem est, quod universa virtus, cæteráque virtutes suo ambitu complectitur; ita illa idem est

quod

quod ὅλην κακίαν, id est, *universum vitium*, quòd cætera omnia vitia sub se continet. *l. 5. Eth. cap. 1.*

21. Ut se habet ius ad Justitiam, ita se habet iniuria ad injustitiam: erit ergò iniuria obiectum, aut potiùs effectum iniustitiæ universalis, sicut Jus est effectum Justitiæ universalis. Iniuria est damnum, quod invito à volente immeritò infertur. Sunt enim tria genera damnorum, quæ aliis in civili societatem inferuntur. Nam quando quis alteri nocet nescius & παραλόγως, dicitur ἀτύχημα, id est, *infortunium* quando nescius nocet, & non παραλόγως quidem, sed tamen sine malitiâ, & animo nocendi dicitur ἁμάρτημα, id est, *erratum*; quando noceat sciens, atque eo animo, ut noceat, ἀδίκημα, id est, *injuria l. 6. Eth. cap. 8.* Jurisconsulti ἀτύχημα casum fortuitum vocant; ἁμάρτημα, culpam: ἀδίκημα, iniuriam. Casum fortuitum appellant, qui humano captu prævideri nequit, aut, si prævideatur, non potest impediri. Culpam esse aiunt imprudentem actionem, aut actionis omissionem, qua alteri immerenti nocetur. Culpam dividunt in latam & levem; culpam latam esse dicunt, cùm quis obtendit ignorantiam in iis rebus, quas omnes homines communi sensu præditi intelligunt: aut cùm non adhibet eam diligentiam in rebus alienis fidei suæ commissis, quam adhibere

solet

solet in propriis. Levem culpam vocant, cùm quis peccans consuetâ in suis rebus negligentiâ, non præstat in rebus alienis ea omnia: quæ diligens paterfamilias in suis rebus adhibere solet. Iniuria vel dolo infertur, vel vi, utraque à proposito, ac studio nocendi proficiscitur, utraq; etiam invito infertur: sed vis infertur scienti; dolus, ignoranti. Licet autem lata culpa à dolo distinguatur definitione, dolo tamen proxima est, & effectu Juris, ipse dolus. Et ideò in contractibus, perinde ut dolus, præstari debet.

22. Non quicunque aliquem ἀδικεῖ i.e, *injuria afficit*, injustus dici potest: sicut nec Justus, quicunque δικαίως πράττει, id est, *alicui jus suum tribuit*: sed is solùm, injuriam facere, aut Jus alteri tribuere dicendus est, qui suâ sponte, & ex deliberato animi consilio id facit, non qui ex ira, aut alio animi effectu. Etenim ὁ ἐξ ἀρχῆς ὁ θυμῷ ποιῶν ἀλλ' ὀργῇ, ποιῶν, id est, *horum autor est, qui irâ*, aut aliâ animi perturbatione *commotus, ea fecit, sed is, qui lasciscivit*. Hujus rei signum est, quod ii, qui injuriæ postulantur, quam non intulerunt deliberato animo, sed justâ irâ provocati, ὁμολογοῦντες μὲν τῷ πράγματι, id est, *factum confitentes*, solent se tueri ipsu jure: at qui deliberato animo alicui intulerunt injuriam, non se solent Jure, sed facti negatione defendere *l.* 5 *Eth. cap.* 8.

23. Que-

23. Quemadmodum iniuriam facere, semper est voluntarium; ita iniuriam pati, semper est involuntarium. Volenti ergò non fit iniuria: iniuria enim in malis est: non potest ergò eligi. Si quis eligat quod sibi damnosum est, definit id esse iniuria, quia voluntate suâ de Jure suo decessit *lib. 6. Eth. 6. 9.* Et quia privatus non potest alteri concedere ius, quod in ipsum habet Resp. fit sæpè, ut qui volenti nocet, peccet tamen in Reipub: veluti si quis vulneret aut occidat quempiam mori cupientem, & quidem tali modo. Præterea cùm dicitur volenti non fit iniuria, voluntas primùm debet esse plena: deinde sana, hoc est, cum ratione conjuncta: postremò debet eo fine damnum velle, quo ab autore infertur. Itaque si qui à viatore pecuniam accipiant, ne eum occidant, aut si qui noceant insano, aut etiam si qui in martyres sæviant; quamquam eorum, qui ista patiuntur, aliqua voluntas intercesserit, non tamen eò minùs injurii sunt. Hinc sequitur, neminem sibi ipsi iniuriam facere. Idem enim non potest agere sponte simul & invitus: multò minùs potest simul agere, & pati, simul plus habere, & minùs quàm oportet. Qui sibi violentas manus inferunt, iniurii quidem sunt: sed in Remp. non in seipsos. Itaque & mulctat eos civitas, & ignominiâ afficit. *lib. 6. Eth. cap. 11.* Sed nec is sibi facit injuriam,

injuriam, qui πλέον ἑτέρῳ ἢ αὐτῷ νέμει, εἰδὼς καὶ ἑκών. Id est, *qui plus alteri sciens & volens tribuit, quàm sibi* ὁ γὰρ ἐπιεικὴς ἐλαττωτικός ἐστιν. Id est, *vir bonus enim facilè decedit de jure suo.* Præterea ἑτέρῳ ἀγαθὸν πλεονεκτεῖ, id est, *aliud bonum lucrifacit*, quum aliis aliquid de suo concedit. *lib. 6. Eth. cap. 9.* Nam non modò liberale est interdùm de suo jure recedere, sed etiam fructuosum. *Cic. lib. 2. Off.* Nam qui de jure suo cedit, si nihil aliud, hoc saltem lucratur, ut apud omnes bene audiat.

24. In distributione inæquali iniquior est, qui plus æquo distribuit, quàm qui plus accipit: quia illud magis est voluntarium *lib. 5. Eth. cap. 9.* Ob eandem causam deterior est, qui iniuriam facit, quàm qui patitur injuriam: illud enim μετὰ κακίας, ἢ καὶ τελείας καὶ ἀπλῶς, ἢ ἐγγύς, id est, *cum vitio coniunctum est, vel integro ac perfecto, quod & simpliciter tale est, vel cum eo, quod huic finitimum est*; hoc, ἀνεὶ κακίας καὶ ἀδικίας, id est, *vitio & iniquitate vacat. lib. 5. Eth. cap. 15.*

CAP.

CAP. XXII.

De Justitia particulari.

§. 1.

DARI Justitiam particularem, quæ diversa sit à cæteris virtutibus moralibus, quæque sub universali justitiâ contineatur, ut pars sub toto, sic ostendi potest. Qui facit aliquid eorum, quæ ad cætera vitia pertinent, puta, qui clypeum abjicit in prælio, qui irato animo aliquem verberat, qui egenti suis opibus non succurrit, ἀδικεῖ μὲν, πλεονεκτεῖ δ' οὐδέν, id est, *facit quidem ille injustè, sibi tamen plus boni non dicitur sumere, quam oportet.* ὅταν δ' πλεονεκτῇ, *cùm autem sibi plus boni sumit, quàm par est,* sæpè nullo alio, certè non omni alio vitio laborat. Præterea si quis quæstûs causâ committat adulterium, alius δι' ἐπιθυμίαν, id est, *per libidinem*; hic intemperans potiùs dicitur quàm πλεονέκτης, id est, *plus justo sibi sumens*, sive iniustus: at ille iniustus dicetur, non intemperans. Ex quibus sequitur, dari iniustitiam, quæ à cæteris vitiis diversa sit: ergò etiam datur Justitia particularis, quæ diversa sit à cæteris virtutibus moralibus;

quæque

quæq; ſub univerſali juſtitiâ continetur. *l. 5 Eth. cap. 2.*

2. Iuſtitia particularis verſatur circa bona, non quidem omnia; ſed circa ea tantùm, περὶ ὅσα εὐτυχία καὶ ἀτυχία, id eſt, *in quibus proſpera vel adverſa fortuna collocari ſolet. lib. 5. Eth. cap.* 1. id eſt, circa bona fortunæ, qualia ſunt honor, pecunia, ſalus, & alia, quæ uno nomine non poſſumus complecti. *lib. 5. Eth. c.* 2. Atque hæc non quovis modo in iuſtitia ſpectantur, ſed quatenus aliis jure debentur: eóque differt à liberalitate, quæ verſatur etiam circa pecuniam, ſed indebitam.

3. In hiſce rebus, is qui particulari iuſtitiâ præditus eſt, medium ſervat & æqualitatem, neque plus ſibi ſumens, neque minùs, quàm par eſt. Qui injuſtus eſt, ἐπὶ μὲν τὰ ἁπλῶς ἀγαθῶν τὸ πλέον αἱρεῖται ὁπὶ τῶ κακῶν, τὸ ἔλαττον. Id eſt, *in iis quæ ſimpliciter bona ſunt, eligit id quod minus eſt.* Nimirum quia videtur τὸ μεῖον κακον, ἀγαθὸν πως εἶναι, Id eſt, *minus malum quodammodo bonum eſſe. lib. 5. Eth. cap.* 1. & 3.

4. Mediocritas, in quâ juſtitia poſita eſt, non eſt ſimplex ut in reliquis virtutibus, ſed analogica. Analogia eſt ſimilitudo rationum. *Eucl. lib. 5. def.* 4. ratio eſt duarum magnitudinum ejuſdem generis mutua quædam ſecundùm quantitatem habitudo. *Ib. def.* 3. Quare cùm quælibet proportio duas minimum

rationes habeat, & ratio quælibet duos terminos, omnis proportio habebit quatuor terminos, sive disjuncta ea sit, sive conjuncta. Nam in proportione conjunctâ communis terminus bis sumitur. Est enim & consequens prioris, & antecedens posterioris rationis. Verbigratiâ, ut se habent 2 ad 6, ita se habent 6 ad 18: hîc 6 bis sumuntur. Justitia non in conjuncta, sed in disjuncta proportione consistit, & in quatuor terminis reverà diversis. Ἀναγκη γὰρ τὸ δίκαιον μέσον τι καὶ ἴσον εἶναι, καὶ πρός τι, καὶ ποτὲ. καὶ ἢ μὲν μέσον, τινῶν. ταῦτα δ' ἔστι πλεῖον, καὶ ἔλαττον ἢ ἴσον ὄντων. ἢ δὲ δίκαιον, τισὶ καὶ πρός τινας. Id est, *Nam necesse est id, quod justum est, & medium & æquale esse, & ad aliquid referri, & aliquibus tale esse. Ac quà quidem medium est, quorundam est; ea verò sunt plus & minus: quà autem æquale est, in duobus cernitur: quà denique justum, & quibusdam & ad alios relatum.* Ex quo consequitur, in justitia semper duas personas considerandas esse, & totidem res: & Justitiam æqualitatem esse οἷς καὶ ἐν οἷς, hoc est, *personis & rebus. lib. 5. Eth. cap. 3.*

5. Causa cur in justitia mediocritas sit analogica, cùm simplex sit in cæteris virtutibus moralibus, hæc est: quòd cæteræ virtutes versentur circa affectus, & actiones hominum erga seipsos; justitia non versetur circa affectus,

affectus nisi per accidens, sed tantùm circa actiones & quidem quas exercemus erga alios: cæteræ virtutes in propriis rebus occupantur, & spectant bonum proprium, Justitia versatur circa res alienas, & spectat bonum alienum. Quare cum cæteræ virtutes res omnes, in quibus versantur, absolutè considerent, sequitur, ut etiam mediocritatem simplicem habeant, & absolutam; Justitia verò quia plures res inter se confert, sæpè etiam personas, omninò debet habere mediocritatem analogicam & comparatam.

6. Justitia particularis dividitur in διανεμητικὴν καὶ διορθωτικὴν id est, *in distributivam et correctivam*, vulgò commutativam. Omnis enim Justitia, ut dictum est, spectat bonum alienum; Justitia universalis spectat commune bonum civitatis; particularis, bonum singulorum. Quare, sicut vel totum cum parte comparari potest, vel pars cum alia qualibet parte totius; ita etiam vel Resp. cum privata persona conferri potest, vel persona privata cum quâlibet aliâ personâ privatâ. In utroque ordine certa quædam officia continentur: quorum, quæ à Rep. singulis privatorum præstanda sunt, à Justitia distributiva; quæ singuli singulis præstare debent, à justitia commutativa præscribuntur.

7. Iuſtitia diſtributiva dicitur, quæ verſatur ἐν ταῖς διανομαῖς ἢ τιμῆς, ἢ χρημάτων, ἢ τῶν ἄλλων, ὅσα μεριστὰ τοῖς κοινωνοῦσι τῆ πολιτείας, id eſt, *in diſtributione vel honoris, vel pecuniæ, vel aliarum rerum, quæ inter eos dividi ſolent, qui unius Reip. communione inter ſe conjuncti ſunt*, in iiſque ſervat proportionem Geometricam. *lib. 5. Eth. cap. 2.*

8. Iuſtitia diſtributiva verſatur circa res communes, atque ad univerſam Remp. pertinentes, ut ſunt pecuniæ & reditus publici, honores, munera, & id genus alia. Cùm autem communium rerum diſpensatio non ſpectat ad privatos, ſed ad Magiſtratum, non erit privatorum, ſed Magiſtratûs, juſtitiam diſtributivam exercere: niſi fortè parentes & domini, aut ſiqui alii aliis imperant, ſimilitudine quâdam dici poſſint magiſtratus hâc in re imitari, quatenus in domo ſunt, quod magiſtratus eà in civitate. Officium magiſtratûs eſt munera Reip. dignis tribuere, benè de Rep. meritos præmiis, & in Remp. delinquentes, ſuppliciis afficere. Quare non in muneribus tantùm & præmiis conferendis, ſed etiam in pœnis & ſuppliciis pro merito infligendis conſiſtit diſtributiva juſtitia.

9. In æſtimanda cujuſque dignitati, & magnitudine meritorum, atque delictorum. Magiſtratus conſiderare debet bonum, & ſalu

lutem Reip. & judicare tantò digniorem esse unumquemque, & ejus merita tantó majora, quantò magis juvare potest Remp. vel revera juvit: & tantò majora delicta, quantò magis vel operâ, vel etiam exemplo Reip. nocent: quatenus autem nocent privatis, ad justitiam commutativam referenda sunt.

10. Atque in his omnibus instituenda est distributio secundùm proportionem Geometricam. De muneribus & præmiis certa res. Justitia enim distributivâ dirigit ordinem totius ad partem, tribuitque singulis, quod iis ab ipsâ Republicâ præ aliis debetur: quod quidem tantò majus est, quantò quisque majorem constituit Reip. portionem, quantòque majorem in eâ habet dignitatem, aut majoribus eam & pluribus beneficiis affecit. Atque hoc est servare proportionem Geometricam, hoc est, proportionem rerum ad personas. Vt enim persona se habet ad personam, sic etiam res, quæ datur uni personæ, se debet habere ad rem quæ datur alteri. Ex. gr. sint *Ajax* & *Ulysses* benè de Repub. meriti ille ut 4, hic ut 8. Cùm præmia distribuuntur, præmium *Vlyssis* ita se debet habere ad præmium *Ajacis*, ut *Vlyssis* se habet ad *Aiacem*, Quare si *Ajacis* præmium est ut 6. præmium *Vlyssis* debet esse ut 12.

11. Eadem proportio servanda est, tum

in publicis delictis, tum etiam in privatis, quatenus iis non privati tantùm, sed ipsa etiam Resp. læditur. Nam ut graviùs ille peccat, qui Magistratum pulsat, quàm qui vilem aliquem ex infima plebe hominem, (graviùs enim Rempub. offendit) ita graviùs etiam puniendus est. Atque hæc est ipsa *Aristotelis* sententia: Εἰ ἀρχὴν ἐχων ἐπάταξεν, (inquit) ἐ δεῖ ἀντιπληγῶναι καὶ εἰ ἄρχοντα ἐπάταξεν, ἐ πληγωναι μόνον δεῖ, ἀλλα καὶ κολαζῶναι, Id est, *si quis Magistratum gerens, alium percussit, non est ille viciſſim percutiendus: sed si quis Magistratum percussit, non percuti modò eum oportet, sed etiam puniri. lib. 5. Eth. c. 5.* Hęc sententia optimâ niti ratione uidetur. Si enim, qui plùs Reip. profuit, majori præmio afficiendus est, cur qui magis læsit Remp. non sit majori pœnâ afficiendus, cùm pœna non tantùm in exemplum, sed etiam, ut offensæ parti satisfiat, adhiberi debeat, ut *cap.* 18. dictum est? Adde, quòd nec jure divino, nec civili æqualis pœna secundùm proportionem Arithmeticam omnibus delictis constituta sit. Deus certè in Vet. Test. aliter puniri voluit, eum qui principi in populo maledixisset, aliter eum qui privato: aliter qui filiam Sacerdotis violâsset, aliter qui filiam privati civis. In jure civili, quatuor delictorum genera constituuntur, facta, dicta, scripta, consilia: atque hæc omnia, sep-

tem

tem modis considerantur, causâ, personâ, loco, tempore, quantitate, qualitate, & eventu. *ff. de pœnis. l. 16.* Unde plurimæ pœnarum consurgunt differentiæ; etiam in eodem genere delicti.

12. Cùm rationes proportionis commutari possunt, cúmque eadem est ratio totius ad totum, quæ partis ad partem; distributio est legitima & justa. Cùm rationes nequeunt commutari, cúmque alia est ratio totius ad totum, & partis ad partem, iniqua distributio est, & injusta. Ἐναλλαξ λόγῳ, id est, *commutata sive alterna ratio* dicitur sumptio antecedentis ad antecedens, & consequentis ad consequens. *Euclid. lib. 5. def. 12.* Ex. gr. ut 4 se habent ad 8, ita 6 se habent ad 12. & permutatâ ratione, ut 4 se habent ad 6. ita 8. se habent ad 12: & ut pars se habet ad partem, 4 ad 8, & 6 ad 12, ita totum se habet ad totum, nempe 10 ad 20. vel ut 4 se habent ad 6, & 8 ad 12 ita 12 se habent ad 18. Ad istum modum debet examinari proportio in justitia distributiva. Ex. gr. sit *Aiax* ut 4, *Vlysses* ut 8. arma *Nestoris*, quæ, *Aiaci* cedunt in præmium, ut 6, arma *Achillis* quæ cedunt *Vlyssi*, ut 12. Hæc distributio justa erit. Nam ut *Aiax* se habet ad *Vlissem*, ita se habent arma *Nestoris* ad arma *Achillis*, & *Aiax* cum armis *Nestoris* ad *Vlyssem* cum armis *Achillis*: & ut *Aiax* se habet ad arma

Achillis, & *Aiax* & *Vlysses* ad arma *Nestoris* & *Achillis*.

13. Iustitiæ distributivæ opponitur quædam species injustitiæ, quâ pœnæ, & præmia inæqualiter, hoc est, æqualia in æqualibus, aut æqualibus inæqualia distribuuntur. Huc referenda est προσωποληψία, id est, *acceptatio personarum*: προσωποληπτης dicitur, qui non meritorum, sed aliorum accidentium intuitu movetur ad præmia & pœnas inæqualiter distribuendas.

14. Iustitia correctiva, sive commutativa dicitur, quæ ἐν τοῖς συναλλάγμασι, id est, *in contractibus*, servat proportionem arithmeticam.

15. Iustitia commutativa inter privatos exercetur, versatúrque circa res privatorum, aut circa contractus qui inter privatos ineuntur. I. Cti vocabulum συναλλαγμα, strictè sumunt pro obligatione ultrò citròque factâ. *ff. de verb. sig. leg.* 19. *Aristoteles* voce συναλλάγματος quaslibet obligationes intelligit, sive ex contractu nascantur, aut ex quasi-contractu; sive ex maleficio, aut quasi-maleficio. De quâ re *vid. lib.* 3. *Inst. tit.* 27. *& seq.* Quare cùm apud I. Ctos omnia συναλλάγματα sint voluntaria, *Aristoteles* tamen ea dividit in voluntaria & invita. Voluntaria dicuntur, quæ vel re fiunt, ut mutuum (quò referenda est usura) commodatum, de-

depositum, pignus; vel verbis, ut stipulatio, promissio, fide-jussio; vel literis, ut nomina; vel deniq; consensu, ut emptio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum. *Lib. 3. Inst. tit. 5. & sequent.* Hęc omnia dicuntur voluntaria, quia horum principium est in nostra potestate: nam post initum contractum ab obligatione, nisi consentiente alterâ parte, non potest discedi. *C. de oblig. & act l. 5.* Invita (συναλλάγματα dicuntur, quæ vel per dolum, (ut furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, servi alieni corruptio, cædes dolosa, falsum testimonium) vel per vim (ut verbera, vincula, cædes, rapina, mutilatio corporis, maledictum, contumelia) nolentibus inferuntur.

16. In contractibus, id quod nimium est, vocatur lucrum; id quod parum est, damnum. Etsi autem lucri nomen contractibus invitis non sit admodum conveniens (non videtur enim lucrari, qui alium verberat) solet tamen lucrum appellari omnis perpessio, ὅταν μέτρον ᾖ, id est, *ubi* à judice *mensura* sit. *lib. 5 Eth. cap. 4.*

17. Contractus ineundi & corrigendi sunt secundùm proportionem Arithmeticam. Nihil enim refert, utrum improbus virum bonum fraudaverit, an probus improbum: neque utrum probus an improbus adulterium commiserit. Lex enim ὡς τῷ βλάβος τὸν

διαφορὰν μόνον βλέπει, καὶ χρῆται οἷς ἴσοις id est, *damni tantùm differentiam intuetur, personis utitur ut æqualibus. lib. 5. Eth. cap. 4* Delicta partim ad justitiam distributivam, partim ad commutativam pertinent, quia non solùm privatis, sed etiam Reip. nocet, si non ipso facto, saltem exemplo. Quare & privatis satisfaciendum est, & Reip. illis secundùm proportionem Arithmeticam; his, secundùm Geometricam.

18. Quum inter privatos de æqualitate non convenit in contractibus servandâ, eundum est ad judicem. Iudex enim videtur esse velut δίκαιον ἔμψυχον, id est, *jus animatum.* Omnes enim judicant tum se jus suum consequi, cùm medium consequuntur. Atqui judex, ubi intellexit damni & lucri differentiam, dimidium lucri damno apponit, & sic facit æqualitatem: veluti si quis lineam sex pedum velit æquare lineæ quatuor pedum, quia discrimen est duorum pedum, unum pedem majori lineæ detractum, breviori debet apponere. Hinc δικαστὴς dicitur quasi διχαστὴς, id est, *in duo rem æqualiter dividens;* & μεσίδιος. id est, *intermedius* sive *mediator: lib. 5. Eth. cap. 4.*

19. Ius talionis sive τὸ ἀντιπεπονθὸς (cujus hæc est sententia,

Εἴκε πάθοι τάκ' ἔρεξα δίκη κ' ἐθεῖα γένοιτο,

id est:

Si

Si quis quod fecit, patiatur, jus eris æquum;) aliquo modo ſpectat ad juſtitiam commutativam, aliquo modo ab omni prorſùs juſtitiâ diverſum eſt. Si ſpectetur ſecundum æqualitatem abſolutam, quomodo ſpectatum fuit à *Pythagoreis*, diverſum eſt ab omni juſtitia. Neque enim referri poteſt ad diſtributivam; quia ibi habetur ratio perſonarum quæ non habetur in jure talionis; neq; ad commutativam; nam juſtitia commutativa vel verſatur circa contractus voluntarios, vel circa maleficia & contractus invitos. In contractibus voluntariis talioni non eſt locus; quia regionum & ſtudiorum diverſitas non permittit, ut eadem reddatur pro iiſdem. Non etiam in contractibus invitis, aut maleficiis: primò, quia inæqualitas perſonarum facit inæqualitatem in delictis ejuſdem generis. Iniquiſſimum enim eſt, ut ſi quis magiſtratum verberâſſet, is viciſſim verberaretur tantummodò, & non graviori pœnâ afficeretur. Deinde multùm intereſt ſponte quis, an per ignorantiam alium verberaverit. Quocirca ſi talio hîc habeat locum, quod per imprudentiam factum eſt, (ut rectè *Favorinus* diſputat apud *Gellium, lib.* 20.) retaliari debet per imprudentiam. Ictus quippe fortuitus & cõſultus non cadunt ſub ejuſdem talionis ſimilitudinem. Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exequenda talione

no

non licentiæ jus habet, ſed imprudentiæ. Præterea acerba atque inhumana talionis exæcutio eſt in maleficiis, & non videtur procedere. Nam cui membrũ ab alio ruptum eſt, ſi ipſi itidem rumpere per talionem velit, quæro primùm, an efficere poſſit rumpendi pariter membri æquilibrium. Deinde ſi quid plus erit alitérve cõmiſſum, res fiat ridiculæ atrocitatis, ut contraria actio mutuæ talionis oriatur, & adoleſcat infinita quædam reciprocatio talionum. Hæc *Favorinus:* Quibus addo; multa eſſe delictorum genera, quæ ſine turpitudine retaliari nequeunt, ut adulterium.

20 Quod ſi jus talionis conſideretur ſecundùm æqualitatem analogicam, hoc eſt, ſi non idem unicuiqne reddatur, ſed aliquid ei quod proportione reſpondeat, erit ipſiſſima juſtitia commutativa, habebítq; locum tum in maleficiis ac contractibus invitis, tum in permutatione rerum, ac contractibus voluntariis. Verbi gratiâ, ſi quis me artem aliquam docuerit, ut paria cum illo faciam, non opus erit eum viciſſim à me doceri; ſed aliquid aliud ei tribui quo ipſius opera compenſetur. Itémque ſi quis mihi colaphum impegerit, non jubebit judex ei viciſſim à me colaphum impingi; ſed eum tantæ fortaſſe pecuniæ damnabit mihi, quanta ad illam improbitatem coërcendam, & ad factam mihi con-

contumeliam aliquâ ratione compensandam satis esse videatur. Quòd si debitum gravius fuerit, quàm ut in ære lui possit, pœna quàm potest proximè, ad delicti similitudinem accedat. Atque hoc sensu præcipitur jus talionis *Exod.* 21. 24. & *Levit.* 24. 19. Et in legibus duodecem Tabularum talio tum demum præcipitur, cùm quis alteri membrum rupit, & tamen de talione redimendâ non vult cum illo paciscì. Atque hujusmodi vicissitudine συμμένει ἡ πόλις, id est, *continetur conjunctio civitatis*. Nemo enim facilè reperietur, qui velit in ea Rep. vivere, ubi semper accipienda & mussitanda est injuria, (hæc enim servitus quædam videtur esse) aut ubi suæ semper partes sunt tribuendi beneficii, nunquam recipiendi. *lib.* 5. *Eth. cap.* 5. Contrà nihil æquius esse, vel ipsa natura docet, quàm ut idem in te fiat, quod tute feceris in alio.

21. In maleficiis talio debet à judice fieri, & ad æqualitatem analogicam reduci: in permutatione rerum ipso partium contrahentium consensu. Res quæ permutandæ sunt vel æquales sunt, vel inæquales: si æquales sunt, ἀντίδοσις, per se justa est: si sint inæquales, ut ferè fit, quia Respub. constat ex diversis iisque inter se minimè æqualibus artificibus, ut ex medicis, agricolis, fabris, &c. exequari eas inter se oportet. Vt autem ex-

exequari possint, πάντα συμβλητὰ δεῖ πῶς εἶναι, ὧν ὅτιν ἀλλαγή. ἐφ' ᾧ τὸ νομίσμα ἐλήλυθε καὶ γίνεται πῶς μέτρον. id est, *oportet omnes res inter se comparabiles esse, quarum futura sit permutatio: atque hujus rei causâ nummus inventus est, ut mensura sit* ad comparandas res inter se, & dimetiendam earum æstimationem. *lib.* 5 Eth. *c.* 5. Ex. grat. si par calceorum valeat viginti obolos, panis unum tantùm, justum erit, ut pistor pro uno pari calceorum sutori reddat viginti panes.

22. Mensura permutationis duplex est, altera naturalis, altera arbitraria, & hominum ingenio excogitata. Naturalis mensura est indigentia; quæ, quò major est aut minor, eò unaquæque res aut pluris est, aut minoris. Εἰ μὴ δὲν δέοιντο, ἢ μὴ ὁμοίως, ἢ οὐκ ἔσται ἀλλαγή, ἢ οὐχ' ἡ αὐτή. id est, *si homines aut nullius rei indigeant, aut non similiter indigeant, futurum est, ut aut nihil inter se permutent, aut non eodem modo,* quo permutarent, si indigerent. Quia autem vix fieri potest, ut, cùm abs te aliquid consequi volo, semper habeam, quo tu similiter indigeas, nec ea res impedimento esset permutationibus, καταλλαγμα τῆς χρείας τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην. id est, *nummus communi quodam consensu ac conventione suffectus est in locum indigentiæ.* Ita ut, si mihi opus sit aliquâ re tuâ, neque ullam rem habeam, quâ tibi vicissim opus

sit

sit, non tamen idcircò oporteat contractum intermitti, sed possim tibi dare nummum tanquam sponsorem, ut certò scias quacunque tandem re, aut nunc, aut postea egeas, te eam, vel à me, vel ab alio, eodem dato sponsore, consecuturum. *Vid. ff. de contr. empt. l. 1.* Hæc est altera permutationis mensura, quam hominum ingenio excogitatam esse diximus. Atque hinc νόμισμα dicitur, ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβάλλειν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον. Id est, *quia non naturâ sed lege valet, & in nobis situm est, eum mutare, vel inutilem reddere, l. 5. Eth. cap. 5.*

23. Ex hisce liquet, quâ æquitate nitatur mercatura, & quâ ratione possit mercator iustè ditescere. Si enim indigentia ponat rebus pretium, & non eadem ferat omnia tellus æquitati consentaneum est, ut ii, qui merces aliundè advehunt, tantum lucrentur, quantò propter inopiam ibi chariores sunt, ubi eas divendunt, quàm iis in locis, ubi fuerunt coemptæ.

24. Iustitiæ commutativæ opponitur species injustitiæ, quæ ἐν τοῖς συναλλάγμασι plus sibi sumit boni, aut aliis plus tribuit mali, quàm oportet. Huc referenda sunt omnia συναλλάγματα invita, quæ recensuimus §. 21.

CAP.

CAP. XXIII.

De *Continentiâ, Tolerantiâ, & virtute Heroicâ.*

§. 1.

ACtum est de virtute absolutè spectatâ; restat ut consideretur secundùm gradus. Gradus virtutis sunt tres: vel enim inchoata est virtus & imperfecta, vel perfecta vel eximia atq; excellens: illa vocatur semivirtus, ista virtus absolutè, hæc virtus heroica. Ad considerationem absolutam pertinet quæ hactenus dicta sunt. Itaq; restat ut de semivirtute, & virtute heroicâ deinceps dicamus.

2. Semivirtus est, quę mediocritatem quidē servat, sed cum aliqua difficultate, & ægritudine, affectibus rationis imperio reluctâtibus & ægrè parentibus, Atque in hoc à perfecta virtute distinguitur. Perfecta enim virtus dicitur, cùm & ratio præscribit quod rectū est, & affectus sine ullo reniſu sequuntur rationis prę scriptum.

3. Semivirtutes tot constitui possunt quot sūt virtutes constitutæ; quia in unoquoq; genere locum habet illa pugna animi inter rationē & affectus, quæ semivirtutes à virtutibus distinguit. Apud *Aristotelē* duæ tantùm semivirtutes recensentur, continentia & tolerantia; & totidē semivitia, incōtinēcia & mollities, quæ iis opponūtur. De quibus deinceps agendum.

4. Continentia sæpè sumitur pro ipsa tēperantia, sed hoc loco accipitur pro gradu quodam

dam, aut dispositione ad temperantiam, aut ad alias virtutes, quæ in cupiditatibus moderandis occupatæ sunt. Cõtinens enim aliquis vel absolutè dici potest, vel κατὰ μέρος id est, *ex parte*. Continentia absolutè dicta versatur in voluptatibus necessariis, quæ ad corpus pertinent, & ex usu nutrimenti, & rerũ venerearum percipiuntnr. Continentia ex parte, versatur circa voluptates non necessarias, quæ percipiuntur ex rebus ad corpus non pertinẽtibus, veluti ex honore, victoriâ, divitiis, aliisque. Qui in hisce modũ servant, aut transeũt, non absolutè dicuntur continentes, aut incõtinentes, sed continentes lucri, honoris, iræ, &c. Qui autem in necessariis illis voluptatibus eodem modo modum servãt, aut trãseũt, absolutè & sine ulla adjectione continentes, aut incontinentes dicuntur. *li: 7. Et c. 4 & 6.*

5. Continentia absolutè dicta est gradus ad temperantiam, sicuti continentia ex parte gradûs est ad liberalitatem, modestiam, mansuetudinem, aut ad alias virtutes. De cõtinentia & incontinentia absolutè dictâ porrò agemus: eâ enim intellectâ, facilè erit judicare, quid sit de continentia & incontinentia in unaquaque virtute statuendum.

6. Continentia absolutè, & sine adjectione dicta, est semivirtus, quæ in voluptatibus ad gustum & tactum pertinentibus, servat mediocritatem cum lucta.

7. Con

7. Continentia & temperantia versantur circa idem objectum; sed dispari modo: uterque enim & continens & temperans talis est, οἷος μηδὲν παρὰ τὸν λόγον διὰ τὰς σωμα, τικὰς ἡδονὰς ποιεῖν, ἀλλ' ὁ μὲν ἔχων, ὃ δ' οὐκ ἔχων, φύλακας ἐπιθυμίας· καὶ ὁ μὲν τοιοῦτος, οἷος μὴ ἥδεσθαι παρὰ τὸν λόγον, ὁ δ' οἷος ἥδεσθαι ἀλλὰ μὴ ἄγεσθαι. Id est, *ut nihil faciat à ratione alienum propter corporeas voluptates: sed hoc interest, quod ille pravis cupiditatibus afficiatur, hic non item; & hic ejusmodi fit, ut nullâ re delectetur præter rationem, ille talis fit, ut delectetur quidem, sed non trahatur. lib. 7. Eth. cap. 9.*

8. Continentiæ in defectu opponitur incontinentia, i.e. semivitium, quo à cupiditate ad illicitas voluptates ducimur ratione renitente. Excessus continentiæ spectat ad doctrinam de temperantia.

9. Ut continens se habet ad temperantem, ita se habet incontinens ad intemperantem. Intemperans enim illicitas voluptates sequitur, προαιρούμενος, καὶ διώκων δι' αὐτά hoc est, *quia iudicat eas esse bonas & sequendas*: incontinens contrà voluptates pravas esse iudicat, easque improbat, sed à cupiditate vincitur, easque sequitur. *lib. 7. Eth. c. 3.* Incontinenti enim contingit tritum illud. Video meliora, proboque, Deteriora sequor. Præterea intemperantes ἐμμένουσι τῇ προαιρέσει, id

id est, *perstant in proposito*, & non ducuntur pœnitentiâ: at incontinentes omnes sunt μεταμελητικοί, id est, *pœnitentia ducuntur*. Hinc fit ut incontinētes sanari possint, intemperantes insanabiles sint. *lib.7. Eth.c.7.& 8.*

10. Ex hisce intelligi potest, quid inter continentem & incontinentem intersit. Uterq; enim eodem modo de voluptatibus judicat: sed cupiditas in incontinente vehementior est, & minor rationis constantia. Continens ergo est ἐμμενικὸς τῷ λογισμῷ, id est, *in eo permanet, quod ratio præcipit*, & perstat contra impetum cupiditatis; incontinens cōtrà est ἐκστατικὸς τοῦ λογισμοῦ, i.e. *facilè desciscit à iudicio rationis*, & cupiditati succumbit, eiq; victas quidem, sed non victas porrigit manus. *lib.7. Eth.c. 1.*

11. Ex dictis liquet, quid differant continentes ab iis, qui ἰσχυρογνώμονες dicuntur, Latinè *pertinaces*: Continentes enim in bono tantùm & laudabili proposito persistunt, ab eoque non patiuntur se cupiditate dimoveri; cedunt tamen meliora docentibus: pertinaces contrà in quocunque proposito persistunt, ab eoque nullis possunt rationibus abduci, cùm tamen sinant facillimè duci sese à cupiditatibus suis. *lib.7. Eth. cap. 9.*

12. Incontinens partim peccat sciens, partim ignorans. Nam absolutè quidem benè judicat de voluptatibus, in quibus peccat:

sed

sed non potest illam notitiam generalem, & absolutam, applicare ad actiones præsentes, propter cupiditatem rationi tenebras offundentem. Damnat enim voluptates, cùm eas in se intuetur; easdémque probat, cùm illas comparat cum omnibus circumstantiis, quæ tum temporis sese offerunt cùm peccat. Præterea hæc specialis, sive comparata ignorantia tum demùm habet locum in incontinente, cùm actu peccat: nam ante & post peccatum fieri potest, ut non tantùm in genere, sed etiam in specie benè judicet de voluptatibus. Atqui hinc est quòd pœnitentiâ ducitur. *lib. 7. Eth. cap. 3.*

13. Incontinentia minùs malum est, quàm intemperantia. Primò, quia intemperans peccat κατὰ προαίρεσιν, incontinens παρὰ προαίρεσιν. Secundò, quia intemperans non ducitur pœnitentiâ, ideóq; insanabilis est, incontinens pœnitentiâ ducitur, & sanari potest ut dictum est. Tertiò, quia intemperans peccat sine intermissione, incontinens per intervalla. Hinc sequitur, incontinentem non esse πονηρὸν, ἀλλ' ἡμιπονηρὸν, id est, non *improbum* sed *semi improbum. lib. 7. Eth. cap. 8.*

14. Tantum tamen malum est incontinentia, ut non possit cum perfecta prudentia consistere. Primò, quia prudens omnis vir bonus est. Secundò, quia ὁ τῷ εἰδέναι μόνον φρόνιμος, ἀλλὰ καὶ τῷ πρακτικός, id est *non*

ex

ex eo solùm, quod aliquis sciat, prudens est, sed etiam oportet ut agat: at incontinens, neque vir bonus est, neq; πρακτικὸς. *l. 5. E. c. 10.*

15. Incontinentiæ species duæ sunt: προπέτεια καὶ ἀδρεία, id est *præcipitantia, & infirmitas*, προπετὴς dicitur, qui διὰ τὸ μὴ βουλεύσασθαι ἄγεται, ὑπὸ πάθους. Id est, *quia non deliberavit, quovis trahitur ab affectu.* Infirmus qui βουλευσάμενος καὶ ἐμμένει οἷς ἐβουλεύσατο. Id est, *postquam deliberavit, non persistit in iis quæ deliberata sunt. lib. 7. Eth: cap: 7.*

16. Infirmitas deterior est præcipitantiâ: qui enim infirmitate peccant ἡττῶνται ὑπ' ἐλάττονος πάθους, id est, *vincuntur à minore affectu*, idq; præëunte deliberatione: qui peccant προπετείᾳ vincuntur ab affectu vallidiore, idq; sine deliberatione. *lib. 7. Eth: cap: 8.*

17. Tolerantia est semivirtus mediocritatem servans in rebus adversis & laboriosis honestatis gratiâ perferendis, cum dolore, molestiâ & luctâ animi.

18. Nam ut continentia se habet ad temperantiam, ita se habet tolerantia ad fortitudinem: utraque enim versatur circa res adversas & laboriosas, sed non eodem modo. Nam fortis pericula non sustinet tantùm, sed ultrò adit etiam, cùm necesse est: at tolerás ea quidem sustinet, sed non adit, nisi cùm urgetur. Præterea fortis plenâ sponte perfert pericula, & non capit dolorem ex suis actionibus

bus: at tolerans non sustinet pericula sine luctu, aut dolore.

19. Tolerantiæ in defectu opponitur mollities. Molles dicuntur, qui res adversas & laboriosas aut non aggrediuntur, aut non sustinent, quas tamen & aggrediendas & sustinendas esse judicant. Mollities vel est insita, vel quæsita: illa est à natura loci, ætatis, aut sexûs; hæc à voluntate. Excessus tollerantiæ pertinet ad fortitudinem. Atque hæc de semivirtutibus, sequitur virtus heroica.

20. Virtus heroica nihil aliud est, quàm virtus cùm excellentia quadam, ac splendore coniuncta. Atq; hæc non cadit in quoslibet homines, sed in heroas tantùm, hoc est, in homines, quibus omnia singulari quâdam prærogativâ indultâ sunt, quæ requiruntur ad virtutes acquirendas. Atque hac de causâ dicitur virtus divina: quia propiùs ad Dei similitudinem accedunt, qui hâc virtute præditi sunt, quàm cæteri homines.

21. Excellentia virtutis heroicæ consistit in summâ animi magnitudine, & facultate res maximas intrepidè aggrediendi, constanter sustinendi, & feliciter exequendi. Magnitudo illa animi est à peculiari quodam amore & desiderio ultimi finis, ad quem mentem suam altiùs elevant, quàm ut fieri solet ab hominibus vulgaribus.

22 Virtus heroica non differt obiecto aut specie

ſpecie à cæteris virtutibus, ſed gradu tantùm: ideóq; tot poſſunt ejus ſpecies conſtitui, quot ſunt ſpecies virtutum. Neq; verò in virtutibus tantùm moralibus, ſed etiam in virtutibus intellectualibus locum habere poteſt heroica excellentia. Magnanimitas & magnificentia in aliquâ quidem magnitudine ſunt poſitæ, ſed non in magnitudine heroicâ. Nã illi magnitudo planè neceſſaria eſt ad conſtituendam eſſentiam virtutis in iis perſonis, quibus magnanimitas aut magnificentia cõpetit: at magnitudo heroica abeſſe poteſt à qualibet virtute, manente tamen naturâ, & eſſentiâ virtutis.

23. Virtuti heroicæ opponitur θηριότης, id eſt, *feritas*; non illa quidem, quæ ex morbo, aut ex depravatis humoribus oritur; qualis eſt in phreneticis & furioſis, vel etiam in fœminis picâ laborantibus, non etiam illa, quæ ab educatione eſt aut ab aſſuefactione, ſive in integris populis, ſive in quibuſdam hominibus: ſed quæ eſt à vitioſitate; quæ nihil eſt aliud, quàm habitus, horrenda quælibet, & cum natura humana pugnantia patrandi, non ex infirmitate, ſed ex ſola libidine peccandi.

24. Feritas quæ à morbo eſt, horribilior eſt; ſed quæ eſt à vitioſitate deterior eſt: tum quia vitioſus agit cum ratione, tum quia callidior eſt nocendi: at in iis, qui ex morbo

feri

feri sunt, nec ratio viget, nec calliditas. Feritas quæ à vitiosa consuetudine est, non tantùm morbosâ feritate, sed omni vitio deterior est, quia rationis usum non excludit sed depravat. *lib: 7. Eth: cap: 6.*

CAP. XXIV.

De Amicitia.

§. 1.

ACtum est de virtute, sequitur amicitia, quam diximus alterum esse medium vel comparandæ, vel fruendæ felicitatis. Nemo enim vitam sine amicis sibi optandam esse duceret, etiamsi cæterorum omnium bonorum copiâ esset instructissimus. Est ergò amicitia necessaria ad vitam in omni fortuna, ætate, ac conditione transigendam. Divitibus. καὶ τοῖς τὰς ἀρχὰς καὶ δυναστείας κεκτημένοις, id est, *& iis qui in imperio, & potentia constituti sunt*, opus est, tum ac exercendam beneficentiam, tum ad conservandam prosperam fortunam, quæ, quantò major est, tantò minus tuta: Pauperibus καὶ τοῖς ἐν ταῖς λοιπαῖς δυσχερείαις, πρὸς καταφυγὴν, id est, *iis qui fortuna adversa utiuntur, ut sit perfugium.* Iuvenibus, πρὸς ἀναμάρτητον, id est, *ne peccent.* Senibus, πρὸς θεραπείαν, καὶ τὸ ἐλλείπειν τῆς πράξεως δι' ἀδυνεσίαν, id est, *ut colantur, utq; quibus ipsi rebus*

agen-

agendis interesse non possunt, (propter ætatis infirmitatem) eæ transigantur ab amicis. τοῖς ἐν ἀκμῇ πρὸς τὰς καλὰς πράξεις, id est, *iis, qui sunt in vigore ætatis, ad præclaras res gerendas.* Nec privatim tantùm, sed etiam publicè utilis est, & necessaria amicitia: Nam συνέχει τὰς πολεῖς, id est, *civitates continet*, & concordiâ firmat, seditionésque expellit. *lib. 8. Eth. cap. 1.*

2. Quid sit amicitia, aliquantò difficilius est explicari; quia non eodem semper modo amicitiæ vox solet usurpari, sed modò strictiùs, modò latiùs. Quocirca ea priùs colligemus, quæ in omni amicitia reperiuntur, deinde adhibitâ divisione singulas species percurremus. Primùm ergò ad amicitiam requiritur benevolentia. Nam ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest; sublatâ enim benevolentiâ tollitur ipsum nomen amicitiæ. *Cic. in Lal.* Benevolentia non est quidem ipsa amicitia, sed ἀρχή, id est, *principium amicitiæ. lib. 9. Eth. cap. 5.*

3. Benevolentia debet esse efficax, & cum amore, atque dilectione conjuncta. Amor enim, ex quo amicitia nominata est, princeps est ad benevolentiam conjungendam. *Cic. in Læl.* Benevolentia sine amore, qualis etiam erga ignotos concipitur, infirmior est, quàm ut ad amicitiam sufficiat. Amor addit benevolentiæ διάτασιν καὶ ὄρεξιν, id est, *contentionẽ*

ac desiderium fruendi eo, erga quem benevolentia concepta est. lib. 8. Eth: cap: 5.

4. Præterea, amor in amicitia debet esse mutuus. Is enim qui mutuus non est, etiam erga bruta & res inanimes est: tum etiam perturbationi similis: at ἀντιφίλησις, id est, *redamatio*, sive amor mutuus, est cum προαιρέσει, & ab habitu proficiscitur; ideóq; inter solos homines obtinet. *lib. 8. Eth: cap: 5.* Consistit ergo amicitia ἐν τῷ φιλεῖν, καὶ ἐν τῷ φιλεῖσθαι, sed magis ἐν τῷ φιλεῖν, quia amare præstantius est, quàm amari. Quòd autem plerique malint amari quàm amare, inde est, quòd plerisq; videatur, τὸ φιλεῖσθαι ἐγγὺς εἶναι τοῦ τιμᾶσθαι, id est, *non multum differre amari, & honore affici*, cujus sũt cupidissimi. *lib. 8. Et: c: 8.*

5. Mutuus hic amor se debet mutuis beneficiis prodere. Benevolentia enim occulta non sufficit ad amicitiam, quia non potest animos conjungere & unire. Quid quòd benevolentia mutuis beneficiis augeatur: idque non solùm in eo, cui benefit, sed etiam in eo qui benefacit; imò in hoc maximè. Nam οἱ εὐεργέται τοὺς εὐεργετηθέντας μᾶλλον φιλοῦσι, ἢ οἱ εὐπαθόντες τοὺς δράσαντας, id est, *benefactores magis eos amant quibus benefecerunt, quàm ii qui beneficium acceperunt, benefactores suos.* Omnes enim magis amare solent opus suum, quàm ab opere suo amari: atqui τὸ εὖ πεπονθὸς ἔργον ἐστὶ τῶν εὐεργετῶν. Hoc est, *id quod beneficio*

neficio affectum est, opus ejus est, qui beneficium dedit. Deinde honestum magis est amabile, quàm utile: at benefacere est honestum, beneficium accipere est utile. Deniq; quia difficilius est benefacere, quàm beneficium accipere. *lib: 9. Eth: cap: 7.*

6. Ex his colligi potest talis definitio: Amicitia est mutua quorundam, efficax, & aperta benevolentia.

7. Amicitia vel ex voluntario delectu nascitur, vel ex jure communionis ac societatis: illam docendi causâ vocabimus arbitrariam, hanc necessariam. Amicitia arbitraria dividi potest in perfectam & in imperfectam: quarum illa propriè amicitia est: imperfecta, per similitudinem tantùm dicitur amicitia: nam revera nihil aliud est, quàm simulachrum veræ & perfectæ amicitiæ. *lib.* 8. *Eth: cap:* 4.

8. Objectum amicitiæ, sive τὸ φιλητὸν, triplex est, honestum, jucundum, & utile: ex his honestum est objectum amicitiæ perfectæ; jucundum & utile, amicitiæ imperfectæ. Amicitia perfecta sic versatur circa honestum, ut etiâ includat jucundum & utile. In amicitia enim perfecta tria sunt: ἡ ἀρετὴ ὡς καλὸν ἡ συνήθεια ὡς ἡδύ, καὶ ἡ χρεία ὡς χρήσιμον, id est, *virtus ut honestum, conversatio ut jucundum, & usus ut utile. Plut.* περὶ πολυφιλ. Omnia ergò sûnt in amicitia perfecta, quæ in amicitia requirûntur. *l.* 8. Et *c.* 3. Vnde & perfecta amicitia dicitur.

9. Amicitia perfecta ex virtute naſcitur, & tendit in virtutem, ut in finem, ideóque non poteſt eſſe, niſi inter bonos. *lib. 8. Eth. cap. 4.* Boni enim viri eſt, aliquem virtutis causâ amare, & cum eo conſpirare ad virtutem prôtiùs expeditiùſque exercendam.

10. Amicitia honeſta per ſe amicitia eſt: amicitia imperfecta per accidens ſolùm. Vir bonus enim bonum virum amat, quia bonus eſt, qui aliquem jucunditatis, aut utilitatis causâ amat, non amat eum, quia jucundus eſt, aut utilis, ideóq; non amat diutiùs, quàm quouſq; vel delectare vel prodeſſe poteſt. *lib. 8. Eth. cap. 3.*

11. Perfecta amicitia προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας, id eſt, *requirit tempus et vitæ conſuetudinem.* Nullos enim fieri amicos oportet πρὶν ἕκατερος ἑκατέρῳ φανῇ φιλητὸς καὶ πιστευθῇ, id eſt, *priuſquam alter alteri videatur dignus qui ametur, et cui credatur.* Atqui tam exactè vix quenquam poſſumus cognoſcere, niſi cum quo diu & familiariſſimè fuerimus converſati. *lib. 8. Eth. cap. 3.*

12. Vbi amicitia perfecta ſemel inita, & firmata eſt, non facilè diſſolvitur. Nam virtute nititur admodum ſtabili fundamento, & habet ea omnia, quæ amicus in amico poſſit deſiderare. *lib. 8. Ethic. cap. 8.* Duæ tamen ſunt cauſæ ob quas amicitiæ ſolvi debent, prima & præcipua eſt, ſi alter amicorum improbus evaſit, nec ſpes ſit emendationis: altera

est, si alter virtute, honore, & rebus gestis ita excellat, ut vitæ institutum, ac studia mutanda sint, & officia inter illos & studia ob dissimilitudinem non possint exerceri. Cùm quis improbus evasit, statim relinquendus est: cùm inter amicos oritur studiorum dissimilitudo, dissuenda potiùs, ut ait *Cicero*, quam dissecindenda est amicitia. *lib 9. Eth. cap. 3.* Nævi in amico tolerandi sunt. Hoc sensu recè dicitur, *Amici vitia videris, non oderis.* Absentia non tollit amicitiam benè firmatam, sed eius tantùm ἐνέργειαν: si absentia diuturnior oblivionem amicitiæ induxerit, amicitiamve dissolverit, sine ulla alia causa, signum est, horum animos nondum benè coaluisse. *lib. 8. Eth. cap. 5.*

13. Norma amicitiæ est, φιλαυτία, id est, *amor sui ipsius. lib. 9. Ethic. cap. 4.* Tanta enim esse debet verorum amicorum unio, ut unusquisque amico sit velut alter idem, & nihilo plus se quam amicum diligat: ut non sibi melius esse, quam amico velit, & non magis res suas, quam res amici ad se pertinere judicet, secundùm tritum illud, Amicorum omnia sunt communia: ut in rebus secundis cum amico gaudeat, in adversis cum illo doleat, nullúmque officiorum genus nolit amico gratificari, nisi quod inhonestum sit. Honestatis fines nemo debet amici causâ transilire, neq; *de via declinare*, ut perperam suadet

Cicero, ne tantillum quidem. Gratificandum eſt amicis, ſed uſque ad aras.

14. Hujuſmodi amicitia haud dubiè eſt ἀδιάβλητος, hoc eſt, *caret calumniis*, ſuſpicionibuſq; non eſt obnoxia. Quia enim amici ſibi intus & in cute noti ſunt, credunt ſibi invicem facillimè; aliis non ita facilè, ſi quid ſiniſtri de altero dicatur. Præterea bēeficiis certant inter ſe, & diligentiſſimè cavent ne alteri alterum injuriâ afficiat. *lib.* 8. *Eth: cap:* 4.

15. Amicitia perfecta eſt admodum rara. Virtus enim & viri boni rari ſunt; & eſt difficillimum judicare qui ad amicitiam ſint idonei: nihil enim tectius eſt hominis animo. *lib:* 8. *Eth: c.* 3. Tum ipſa etiam amicitia ſæpè judicium præcurrit, & tollit experiendi poteſtatem. *Cic. in Læl.*

16. Perfecta amicitia non poteſt coli cum pluribus. Nam fieri non poteſt, ut multos tam exactè cognoſcamus, & tam impenſè diligamus, quàm neceſſe eſt amicum; multò minùs, ut cum pluribus vivamus, eorúmq; omnium commodis ſimul inſerviamus. Deinde cùm non ſit omnium eadem fortuna, ſæpè neceſſe foret, cum his ob res ſecundas lætari, cum aliis dolere. Vix ergò fieri poteſt, ut amici ſint plures duobus. *lib.* 8. *cap.* 5. *& li.* 9. *c.* 10. *vid. Plut.* περὶ πολυφιλ. Qui multis amici eſſe volunt, non tam amici ſūt quàm ἀ-

ρεσκοι. 17.

17. Sic de amicitiâ perfectâ. Imperfecta amicitia oritur ex defectu earum conditionum quæ ad amicitiæ perfectionem requiruntur. Habet enim locum etiam inter improbos. *lib.* 8. *Eth. cap.* 4. & non est amicitia nisi per accidens, ideóque instabilis est, & parùm diuturna. Qui enim se mutuò diligũt utilitatis, aut jucunditatis tantùm causâ, non diligunt se diutiùs, quàm utilitatem & delectationem sibi mutuò conciliant: qui desinit alteri esse utilis, aut jucundus, desinit amari. Necesse est ergò, cum utilitate, & jucunditate perire amicitiam, quæ harum causâ contracta fuit.

18. Amicitia jucunda viget in juvenibus, utpotè qui secundùm affectus ferè vivunt, & omnes actiones voluptate & dolore metiri solent: in senibus, qui avidiores sunt, magis viget amicitia utilis. Quia autem magis ingenuum est, amicitiam voluptate, quàm quæstu metiri (nam etiam felicissimi quique amicos optant; non ad utilitatem aut ad lucrum, sed ad suavitatem conversationis) sequitur, amicitiam jucundam propius accedere ad amicitiam perfectam, quàm utilem. *lib.* 8. *Eth. cap.* 6.

19. Præterea, amicitia jucunda minùs est obnoxia querelis, & criminationibus. Nam vel uterq; alterius consuetudine delectatur, & sic neuter habet quod queratur; vel, si alter-

utri alterius consuetudo minùs grata sit, licet consuetudinem intermittere. At in amicitia utili, uterque plus appetit, quàm alter potest præstare.

20. Si in amicitia perfecta observetur justa officiorum compensatio, si etiam accedat diuturna consuetudo, fieri potest, ut definat in amicitiam perfectam. Nam qui antè se mutuò diligebant propter utilitatem, aut propter jucunditatem tantùm, ubi paulò sibi magis innotescunt,& virtutem alter in altero cognoscit, incipiunt sæpè se mutuò diligere propter ipsam virtutem. *lib.* 8. *Eth. cap.* 4.

21. Compensatio beneficiorum vel fit in eodem genere, ut si quis pecuniam reddat pro pecunia, voluptatem pro voluptate, vel in alio genere. Vtrobique debet fieri beneficiorum acceptorum æstimatio, atque ea ab ipso accipiente, non à dante, si non sint data beneficia ex pacto. Nam si ex pacto data sunt, jam beneficium æstimavit, qui dedit. Accipiens beneficium tanti æstimare debet, quanti illud æstimabat cùm illo indigebat. *lib.* 9. *Eth. cap.* 1.

22. Sic de amicitia voluntaria, sequitur necessaria. Amicitia necessaria dicitur, quæ non ex arbitrario delectu, sed ex quodam jure societatis nascitur. Inter quos enim societas, inter illos aliqua amicitia requiritur. Imò καθ' ὅσον κοινωνοῦσι, ἐπὶ τοσοῦτόν ἐστι φιλία. Id est,

est, *quanta communio est, tam latè patet amicitia. lib. 8. Eth. cap. 9.*

23. Vt ergò societas, ita etiam amicitia dividitur in naturalem, & politicam: amicitia naturalis dicitur, quam naturæ vinculum conciliat: éstque vel συγγενικὴ, id est, *cognata*, vel γαμικὴ, id est, *nuptialis*: illa oritur ex communione sanguinis, ut inter parentes & liberos, inter fratres, & inter cognatos specialiter sic dictos: hæc ex nuptiis, idque vel inter maritum & uxorem, vel inter quoslibet affines.

24. Amicitia politica dicitur, quæ oritur ex societate civili: idq; vel inter Magistratum & subditos, vel inter ipsos subditos. Amicitia quæ inter Magistratum & subditos intercedit, dividitur in monarchicam, Aristocraticam & Democraticam. Quæ inter subditos consistit, multiplex est: alia enim est inter cives, alia inter tribules, alia inter vicinos, alia inter commilitones; & omninò totuplex, quotuplex est civium inter se communio ac societas. Sed de societatis naturâ in Politicis agendum est, Atque Oeconomicis.

FINIS.

FRANCONIS BURGERSDICI

IDEA PHILOSOPHIÆ NATVRALIS:

SIVE

Methodus definitionum & controversiarum Physicarum.

Editio postrema.

OXONII,
Excudebat HEN: HALL, Impensis *Rob: Blagrave.* 1655.

Philoſophiæ Studioſis.

IDeam Philoſophiæ Naturalis ante triennium eo fine ediderам, ut ſciretis, quem ordinem ſcqueremini in diſcēda hac nobiliſſima ac diffuſiſſima parte Philoſophiæ. & ſimul ut ii haberent perpetuas theſes, de quibus diſputarent, qui privatim mea uterentur inſtitutione. Hac de cauſa Autores citavi, non antiquos illos Græcos, Arabes, & Latinos interpretes, Aphrodiſcum, Ammonium, Philoponum, Simplicium, Themiſtium, Avicennam, Averroem, Boëthiū, Thomam, &c. qui authoritatem habent ab antiquitate; ſed Doctores Conimbricenſes, Zabarellam, Pererium, Toletum, alioſq; novos Scriptores ex quibus ducere ſoletis prima lineamenta, Philoſophiæ. Diffuſa ſunt horum autorum commentaria, & ferè ſine methodo. ut quibus propoſitum eſt, Ariſtotele obiter illuſtrato, quidlibet ad illius textum in controverſiam adducere; Ex his ſelegi diſputationes, quæ ad Phyſicam ſpectāt, eaſq; ea methodo diſpoſui, quam ſum arbitratus cum natura hujus ſcientiæ optimè congruere;

inter-

intertextis subinde definitionibus, iisq; potissimū Aristotelis, *ubi id ratio methodi requirebat. Nec dubito, quin si Philosophiæ studiosi, definitiones & controversias Physicas hac methodo examinaverint, magnum facturi sint suorum studiorum compendium. Vtilissima enim res in studiis est ordo, & ad disciplinas accuratè discendas, & ad eas fideliter retinendas. Et sicuti ordinatorum studiorum fructus est solida eruditio; ita vix superficie tenus eruditi possunt, qui sine scopo ac methodo student, quasi*

Sectentur corvos testâque lutóque.

FRANCO BURGERSDICIUS.

TITULI

TITVLI ET ORDO DISPUTATIonum, quæ hâc Ideâ continentur.

1. DE *Philosophiæ & Physices naturâ.*
2. *De principiis corporis naturalis.*
3. *De Natura.*
4. *De Quantitate corporis naturalis.*
5. *De Loco & Vacuo.*
6. *De Motu.*
7. *De Tempore.*
8. *De Mundo.*
9. *De Cælo.*
10. *De variis cœli orbibus, & stellis.*
11. *De Generatione & Corruptione.*
12. *De Elementis in genere.*
13. *De singulis Elementis.*
14. *De Mistione & temperamentis.*
15. *De Putrefactione.*
16. *De Meteoris.*
17. *De Anima, vita, et morte.*

18. *De anima vegetativa, ejúſq; affectionibus.*
19. *De Anima ſenſitiva, & ſenſu in genere.*
20. *De Viſu.*
21. *De Auditu, Odoratu, Guſtu, & Tactu.*
22. *De Senſu interno, ejúſq; affectionibus.*
23. *De Appetitu ſenſitivo, & Locomotivo.*
24. *De Animæ intellectivæ eſſentiâ & origine.*
25. *De Intellectu.*
26. *De Voluntate.*

FINIS

IDEA PHILOSOPHIÆ NATVRALIS

SIVE

Methodus definitionum & controverſiarum Phyſicarum.

DISPVTATIO I.

De Philoſophiæ & Phyſices Naturâ.

THESIS I.

PHiloſophia, ſi nomen ſpectes, nihil aliud ſonat, quàm φιλία τῆς σοφίας, hoc eſt, *amor & ſtudium ſapientiæ.* Si rem ipſam conſideres, nihil aliud eſt Philoſophia, quàm σοφία, ſive ſapientia: ut modeſtè magis quàm rectè, *Pythagoras*, humanam ſapientiam, philoſophiam potiùs, quam σοφίαν appellandam cenſuerit.

2. Philoſophia definiri poteſt, rerum divinarum & humanarum cognitio, quantâ homo naturali intellectûs lumine conſequi poteſt.

3. Stoici

3. Stoici Philosophiam dividunt, in Naturalem, Moralem, & Rationalem, ut autor est *Diogenes Laertius* in vita *Zenonis*. Verùm præstat cum *Peripateticis* Philosophiã in duas partes dividere, in Speculativam & practicam. *Arist:* 1. *Metaph. min. cap.* 1. *Conimb. proœm. Phys. Perer. lib:* 1. *cap.* 2.

4. Etenim omnia in Philosophia gemina sunt, subjectum, objectum, finis. Philosophia speculativa residet in intellectu speculativo, versatùrque circa res *divinas*, hoc est, necessarias, idque solius veritatis gratiâ; Philosophia practica hæret in intellectu practico, versatúrque circa res *humanas*, hoc est, contingentes, & nostro arbitrio subjectas, idq; non nudæ cognitionis, sed praxeos cognitionem sequuturæ gratiâ. *Perer: lib.* 1. *cap.* 3.

5. Hinc sequitur, Logicam non esse partẽ Philosophię, ut quæ non cognitionem rerum, sed modum res cognoscendi, suppeditat.

6. Philosophia speculativa non est una scientia, sed compages trium scientiarum specie differentium. *Conimb. proœm. Phys. qu.* 1. *Perer. lib.* 1. *cap.* 8. *Suar. tom.* 1. *disp.* 1. *sect.* 2.

7. Scientiarum unitas, & distinctio, pendet ab unitate & distinctione objecti formalis sive à modo objectum considerandi. Modus considerandi sumitur ab abstractione rei cõsiderandæ à materia. Abstractio à materia fit tribus modis. Res enim abstrahitur à materia

teria singulari, vel à materia communi, sed solâ ratione, vel à materia singulari & communi, non solâ ratione, sed etiam re ipsâ: illa Physicam, ista Mathematicam, hæc Metaphysicam constituit. *Conimb. proœm. Phys. quæst. 1. art. 3. Perer. lib. 1. cap. 5. & seq.*

8. Metaphysica inter scientias speculativas ordine naturæ & dignitatis, prima est; Physica, secunda; Mathematica, postrema; secundum ordinem cognitionis nostræ, Mathematica prima est; Physica, secunda; Metaphysica, postrema. *Perer. lib. 1. cap. 17.*

9. Etsi non planè absurdum sit, plures scientias sub Metaphysicâ contineri, puta *scientiam entis* in genere, *Theologiam naturalem, & Angelographiam*, probabilius tamen esse existimo, has partes esse unius scientiæ, quàm scientias specie diversas. *Perer. lib. 2 cap. 7. Suar. tom. 1. disp. 1. sect. 3.*

10. Mathematica continet sub se plures scientias specie diversas. Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Opticam, Astronomiam, Geographiam, Staticam, &c. *Conimb. proœm. Phys. quæst. 1. art. 4.*

11. Metaphysica reliquis quidem scientiis præest: reliquæ tamen scientiæ Metaphysicæ non subalternantur. *Suar. ibid. Perer. lib. 1. cap. 13, & 14.*

12. Philosophia practica dividitur in partem communem, quæ Ethica dicitur, & partem specialem,

ſpecialem, quæ Politicam & Oeconomicam ſub ſeſe continet. *Picol. introd. ad 10. grad cap. 7, 8, & 9.*

13. Phyſica eſt ſcientia corporis naturalis, quatenus naturale.

14. Etſi corpora naturalia conſiſtant in perpetuo fluxu ac mutatione, nihilominùs tamen eſt Phyſica propriè dicta ſcientia. *Conimb. proœm. Phyſ. quæſt. 2. Tol. ibid. quæſt. 1.*

15. Subjectum Phyſices, (quicquid alii diſputant) rectiſſimè ſtatuitur *corpus naturale* ſive *mobile. Perer. lib. 2. cap. 1. & 2. Zab. de nat ſcien. conſt. cap. 2. Diſſentiunt Conim. proœm. Phyſ. quæſt. 4. Tol. ibid. quæſt. 2.*

DISPUT. II.

De Principiis corporis naturalis.

THESIS I.

IN unaquâq; ſcientiâ tria ſpectanda ſunt, Subjectum, Principia, & Affectiones: eáq; vel in genere, vel in ſpecie.

2. Hinc factum eſt, ut Phyſica diſtributa ſit in duas partes, in partem ſcilicet communem, in quâ agitur de corpore naturali, ejúſque affectionibus in genere, & in partem propriâ, in qua diſſeritur de ſpeciebus coporibus natu-

naturalis, ejúsque principiis & affectionibus.

3. Principia sunt, quæ nec ex se invicem sunt, neque ex aliis, & ex quibus sunt omnia. *Arist. lib.* 1. *Phys. c.* 5. *Vid. Conimb. ib. qu.* 1.

4. Principia corporis naturalis omninò tria sunt, duo contraria, forma & privatio, & commune contrariorum subjectum, materia. *Arist. lib.* 1. *Phys. cap.* 6, *&* 7. *Conimb. ibid. quæst.* 2.

5. Ex his, materia & forma sunt principia per se; privatio, principium per accidens: materia & forma sunt principia generationis & constitutionis; privatio, generationis tantùm.

6. Materia est primum subjectum, ex quo insito, corpus naturale per se, & non ex accidenti generatur, & in quod ultimò resolvitur. *lib.* 1. *Phys. cap.* 9.

7. Materia non est corpus, neq; per formam aliquam corporeitatis (ut *Avicenna* loquitur) neque per simplicem suam essentiam. *Suar. tom.* 1. *disp.* 13. *sect.* 3. *Perer. lib.* 5. *cap.* 16, *&* 17. *Conimb. lib.* 1. *de gen. & cor. cap.* 4. *quæst.* 20. *Tolet lib.* 1. *Phys. quæst.* 13. *Zabarella partem etiam priorem probat contra Avicennam. lib.* 2. *de mat. primâ cap.* 14. *Alteram improbat eodem lib. cap.* 17.

8. Imò materia est pura puta potentia in genere rerum naturalium: hoc est, expers est & capax omnium formarum Physicarum: at

in ge-

nere ſubſtantiaram actu eſt. Habet enim ex ſe eſſentiam & exiſtentiam partialem & incompletam (quâ corpora naturalia conjuncta formæ conſtituit) & non à forma. Hoc ſenſu rectè dixit *Scotus*, materiam ex ſe habere actum, utipſe loquitur, *entitativum*, *Suar. Tom. 1. diſp. 13. ſect. 4. Tol. lib. 1. Phyſ. quæſt: 11. Perer: lib. 5. cap. 13. Contrà ſentiunt Conimb. lib. 1. Phyſ. cap. 9. q. 3. Zab. lib. 2. de mat. pr. c. 1. & ſeq.*

9. Hinc ſequitur, materiam non poſſe eſſe ſine forma. Contrà *Conimb. lib. 1. Phyſ. cap. 9. qu. 6. Suar. 1. Tom. diſp. 10. ſect. 9.*

10. Potentia materiæ dividitur in generalē, & ſpecialem, generalis dicitur, quâ reſpicit quamlibet formam indifferenter; ſpecialis, quâ reſpicit hanc aut illam formam. Prior potentia materiæ eſſentialis eſt, poſterior accidentalis. *Zab. lib. 1. de mat. pri. cap. 10. & ſeq. Perer. lib. 5. cap. 21. et 22. Tol. lib. 1. Phyſ. quæſt. 12.*

11. Appetitus, qui vulgò materiæ tribuitur ab illius potentia, non niſi ratione diſcrepat. *Conimb. lib. 1. Phyſ. cap. 9. quæſt. 4. Tol. ibid. quæſt. 4.*

12. Materiæ coæva eſt quantitas interminata. *Perer. lib. 5. cap. 18. et ſeq. Zab. lib. 2. de mat. pr. cap. 6. et ſeq. Contrà ſentit Tol. lib. 1. Phyſ. quæſt. 12.*

13. Dari formas ſubſtantiales corporum natu-

naturalium, demonstrant *Conimb. lib.* 1. *Phys. cap.* 9. *quæst.* 9. *Perer. lib.* 6. *cap.* 2. *Suar. tom.* 1. *disp.* 15. *sect.* 1.

14. Forma est actus substantialis, unum per se cum materia constituens. *Conimb. lib.* 1. *Phys. cap.* 9. *quæst.* 11

15. Formæ substantiales non sunt ante generationem in materia, neque secundùm se totas, neque secundum aliquam sui partem, aut gradum; sed educuntur ex potentia materiæ. *Conimb.* 1. *Phys. cap.* 9. *quæst.* 12. *Tol. ib. quæst.* 17. *Suar. tom.* 1. *disp.* 15. *sect.* 2. *Contrà sentit Scalig. exerc.* 6. *sect.* 5. *et seq.*

16. Forma dicitur λόγος τῆ οὐσίας, & per formam dicitur corpus esse, id quod est, non quasi forma sit tota corporis essentia, sed quod sit præcipua pars essentiæ, quâ corpus constituitur in certa specie. Quòd enim homo sit, aut quòd sit corpus, tam materiæ debetur, quàm formæ, sed quòd sit homo, debetur soli formæ. *Conimb. lib.* 1. *Phys. c.* 9 *quæst.* 1. *Contrà sentit Perer. lib.* 6. *cap.* 7. *et sequent.*

17. Una tantùm est forma specifica in quolibet composito. Huic plures formas, etiam subsantiales, subordinari in viventibus, saltē ut dispositiones quasdam, non est impossibile. *Zab. lib. de gen. et int. cap.* 2. Contrà *Conimb. lib.* 1. *de gen. et. cor. cap.* 4. *quæst.* 23. *Suar.* 1. *tom. disp.* 10. *sect.* 10.

18. Privatio est absentia formæ quæ debebat

bat ineſſe Cùm enim privatio dicatur vel reſpectu formæ expellendæ, vel reſpectu formæ introducendæ; poſteriori reſpectu privatio intelligenda eſt, cùm inter principia generationis numeratur.

19. Privatio dicitur principium generationis, quia in generatione eſt terminus à quo. *Conimb. lib. 1. Phyſ. cap. 9. quæſt. 8. Tol. ibid. qu. 19. Perer. lib. 5. cap. 22.*

DISPUT. III.

De Natura.

THESIS I.

EX materia & forma componitur corpus naturale, hoc eſt, corpus habens naturam.

2. Natura eſt principium & cauſa motûs, & quietis ejus, in quo eſt, primò, per ſe, & non per accidens. *Ariſt. lib. 2. Phyſ. cap. 1. Conimb. ibid. qu. 2. Tol. ib. quæſt. 1. Perer. li. 7. cap. 4, & 5.*

3. Natura eſt principium motûs activum & paſſivum.

4. In quibus rebus, & quorum motuum, & natura principium activum eſt in iiſdem rebus, & eorundem motuum, eſt etiam principium paſſivum; ſed non vice versâ. Itaque motus non ſolùm naturalis dicitur, qui à formâ

mâ rei mobilis, ut à causâ efficiente, proficiscitur, sed etiam ad quem recipiendum materia aptè dispositа est. Licèt ergò formæ peculiari prærogativâ naturæ vocabulum tribuatur, non est tamen negandum, quin etiam materiæ tribuenda sit appellatio naturæ. *Cov. 2. phys. cap. 1. quæst. 3. Tol. ibid. quæst. 2. Perer. lib. 7. cap. 17.*

5. Atque ita (licèt statueretur cœlum ab intelligentiis moveri) causa tamen nulla foret, cur ejus motus dici non possit naturalis. *Conimb. lib. 1. de cœl. cap. 2. quæst. 3. Tol. lib. 2. Phys. qu. 3. Perer. lib. 7. cap. 6.*

6. Natura non est principium motûs & quietis in eodem simul corpore, sed in diversis corporibus: principium motûs, in iis quæ naturaliter moventur; quietis, in iis, quæ naturaliter quiescunt.

7. Intelligitur autem quies à motu naturali, in termino ad quem: quies in termino à quo, violenta est, & contra naturam.

8. Natura semper agit propter finem. *Conimb. lib. 2. phys. cap. 2. qu. 1.*

9. Necessitas ergò rerum Physicarum, non soli materiæ, sed etiam fini adscribenda est.

10. Hæc finis necessitas, cùm sit hypothetica, non tollit è naturâ *Casum* aut *Fortunam*. *Tol. lib. 2. phys. quæst. 9. Perer. lib. 9. cap. 1. & 2.*

11. Casus est causa per accidens eorum, quę rarò contingunt, idq; in iis omnibus, quæ alicujus gratiâ suscipiuntur. *Arist. l. 2. Phys. c. 5.*

12. Fortuna est species casûs, in iisque solùm locum habet, quę agunt ἐκ προαιρέσεως, cùm casus etiam sit in iis, quæ agunt ex necessitate naturæ. *Arist. ibid.*

13. Monstra, hoc est, effecta naturalia, quæ à recta & solita secundùm speciem dispositione degenerant, casu fiunt. *Conimb. lib. 2. Ph. cap. 9. qu. 6. Tol. ibid. qu. 13.*

14. Ars semper est operis ac motionis suæ causa externa, in eóque, à natura differt. Ideóque non potest opera naturalia moliri: sed tantùm potest naturam determinare, ac dirigere, causas naturales materiæ prudenter accommodando. *Conimb. lib. 2. Phys. cap. 1. quæst. 1.*

DISPUT. IV.

De Quantitate & qualitate corporis naturalis.

THESIS. I.

SIc de principiis corporis ac mutationum naturalium in genere; sequuntur quædam corporis naturalis affectiones, quantitas, qualitas

litas, locus, motus, & tempus.

2. Quantitas (continuam intelligo) est accidens, quo corpus naturale partem habet extra partem.

3. Quantitas, materiam; termini quantitatis, formam immediatè consequuntur.

4. Quàm ergò necessarium est corpus ex materia & forma constare, tam necessarium est, corpus naturale, esse quantum atque extensum.

5. Omne corpus naturale quantitate finitum est: infinitum actu nullum datur. *Conimb. li. 3. Phys. cap. 8. qu. 1. Tol. ibid. quæst. 7. Perer. lib. 10. cap. 7. & seq.* Nec dari potest, ne virtute quidem divinâ *Conimb. dict. loc. qu. 2. Perer. lib. 10. cap. 10, & 11.*

6. Actu infinitum dicitur, quod habet partes æquales uni certæ, quarum, si una post alteram sumatur, & eadem non repetatur, nunquam tot sumi possunt, quin aliquot semper sumendæ restent.

7. Quantum non componitur ex indivisibilibus, sed ex partibus in infinitum divisibilibus. *Conimb. lib. 6. Phys. cap. 2. qu. 2. Tol. ibid. qu. 1. Perer. lib. 10. cap. 13, & 14.*

8. Quantum, dicitur in infinitum divisibile, non quia secari potest in partes infinitas, sed quia non potest dividi in ea, quæ amplius non possunt dividi. Quomodo dicitur numerus in infinitum augeri posse.

9. Corpora heterogenea, qualia sunt viventia, requirunt quantitatem naturæ suæ convenientem, & certis limitibus definitam, ita ut eorum natura specifica conservari non possit sub quantitate quantumvis magnâ, vel quantumvis parvâ. *Conimb. lib. 1. phys. cap. 4. quæst. 1. Tol. ib. quæst. 9. Perer. lib. 10. c. 23.*

10. Corpora homogenea, qualia sunt elementa, reliquáque ferè corpora non viventia, non habent certum terminum magnitudinis à naturâ præscriptum: (in quo citati autores dictis locis consentiunt.) Et licèt habeant terminum parvitatis propter ambientium corporum repugnantiam, ex natura tamen sua determinatam parvitatem non requirunt: *Pererius cit. loc. contrà Conimb. & Tol.*

11. Qualitas, quæ inter affectiones corporis naturalis recensetur, nihil aliud est, quàm corporis naturalis facultas ad agendum aut patiendum, quod suæ naturæ consentaneum est.

12. Estque vel manifesta, vel occulta: quorum illa per se incurrit in sensus; hæc, non nisi ex effectis deprehenditur. Huc referendæ sunt sympathiæ & antipathiæ rerum.

DISP.

DISPUTATIO V.

De Loco & Vacuo.

THESIS I.

Locus ab *Aristotele* definitur, superficies corporis continentis proxima & immobilis. *lib. 4. phys. cap. 4. Conimb. ibid. quæst. 1. Tol. quæst. 3. & 4. Perer. l. 11. c. 6. & 7.*

2. Hâc acceptione locus non est essentialis proprietas corporis naturalis. Quod enim corpus alio corpore circumscribatur, non oritur ex internâ naturâ corporis, sed ex lege universalis naturæ, vacuum impedientis.

3. Quin nec cœlum in loco esse dici rectè poterit, si locus sit *superficies corporis continentis*, quicquid contrà disputent. *Conimb. lib. 4. Phys. cap. 5. qu. 2. Tol. ibid. quæst. 7. Perer. lib. 11. cap. 8, & 9.*

4. Præterea, *loci immobilitatem* non facilé, nec eodem modo tuentur, qui locum superficiem esse volunt. Aliter enim *Conimb. dict. lib. quæst. 1.* Aliter *Tol. ibid. qu. 5.* Aliter *Perer. lib. 11. cap. 2, & 3.* Aliter alii *loci immobilitatem* interpretantur. Omnium optimè *Keck. lib. de loco & locato*, locum immobilem esse docet respectu βάσεως, quæ locato immobilis substernitur.

5. Quæ cùm ita ſint, videtur locus eſſe ſpatium in quo corpus eſt. *Scalig. exer. 6. ſect. 3.* Contrà *Conimb. lib. 4. Phyſ. cap. 5. quæſt. 1. Tol. ibid. qu. 3. Perer. lib. 11. cap. 5. & ſeq.*

6. Spatium non eſt corpus, nec quantitas, nec quidquam reale, ſed imaginaria quædam capacitas æqualis locato.

7. Locus quantitatem ſequitur: ideóque quàm neceſſarium eſt corpus eſſe quantum, & extenſum, tam neceſſarium eſt, corpus eſſe in loco.

8. Et dimenſiones partéſque loci, dimenſionibus & partibus locati reſpondere.

9. Duo corpora non poſſunt ſimul eſſe in eodem loco, ne divinâ quædam virtute; quemadmodum duę partes ejuſdem corporis non poſſunt eſſe in iiſdem loci partibus. Contrà *Conimb. lib. 4. Phyſ. cap. 5. quæſt. 4. omnéſque Pontificios.*

10. Non magis poteſt idem corpus ſimul eſſe in diverſis locis. *Contra eoſdem ibid. qu. 5.*

11. Vacuum eſt ſpatium expers & capax corporis.

12. Dari vacuum in natura, perperàm à Veteribus aſſertum eſt. Quin nec dari poteſt naturaliter. *Conimb. lib. 4. Phyſ. cap. 9. qu. 1 Tol. ibid. qu. 10.*

13. Natura tam ſtudioſè vacuum vitat, ut ſe tueatur. Res enim ſubcœleſtes virtute cœli ſubſiſtunt, quæ ad eas deferri non poſſet, inter-

interpoſito vacuo.

14. Hujus virtutis defectum cùm poſſit Deus ſupplere, non videtur negandum quin virtute Dei vacuum dari poſſit. *Conimb. lib. 4. Phyſ. cap. 9. quæſt. 2.*

15. Non demonſtravit *Ariſtoteles lib. 4. Phyſ. cap. 8.* ſi aliquid naturâ ſuâ moveretur in vacuo, illud motû iri in momento. *Conimb. ibid. quæſt. 5. Tol. ibid. quæſt. 5.* Contrà *Pererium lib. 11. cap. 10, & 11.*

16. Quòd igitur corpus ſuâ naturâ non poſſit in vacuo moveri, non ex eo eſt, quòd motus ille foret momentaneus, ſed quòd ad eum non poſſet conſpirare virtus cœli.

DISPUT. VI.

De Motu.

THESIS I.

MOtus eſt actus ejus, quod eſt potentiâ, quatenus eſt potentiâ. *Ariſt. lib. 3. Phyſ. cap. 2. Conimb. ibid. quæſt. 1. Per. lib. 13. ca. 2. & ſeq.*

2. In motu conſiderari debent, movens, mobile, terminus à quo, & terminus ad quem.

3. Motus non eſt in movente, ſed in mobili. *Conimb. lib. 3. Phyſ. cap. 3. qu. 1. Tol. ibid.*

quæst. 2. Perer. lib. 13. cap. 7.

4. Termini motûs sunt oppositi. *Perer. li. 13. cap. 9. quæst. 5.*

5. Abjectio tamen termini à quo, & acquisitio termini ad quem, non est, nisi unus motus: *Perer. ibid. quæst. 7. Tol. li. 5. Phys. quæst. 4.*

6. Motus formaliter non est forma in fieri, sed via ad formam: nec tamen reipsâ à forma differt, sed ratione ac definitione. *Conimb. lib. 3. Phys. cap. 2. quæst. 3. Tol. ibid. qu. 3. Perer. lib. 13. cap. 9. quæst. 10.*

7. Terminus ad quem debet esse divisibilis. *Perer. cit. loc. quæst. 4.*

8. Hinc sequitur, motum esse successivum & continuum: *Conimb. lib. 3. phys. cap. 2. quæst. 2. Perer. lib. 14. cap. 8.*

9. Vnitas & distinctio motûs generica & specifica, petenda est ab unitate & distinctione termini ad quem. *Conimb. lib. 5. phys. cap. 4. qu. 1. Tol. ib. qu. 2. Perer. lib. 13. c. 9. qu. 8.*

10. Ergò motus tantùm est in tribus categoriis; in quantitate, est augmentatio & diminutio; in qualitate, alteratio; in ubi, motus localis. *Conimb. lib. 5. Phys. cap. 2. quæst. 1. Perer. lib. 14. cap. 2.*

11. Generatio enim & Corruptio non sunt species motûs propriè dicti: sed mutationes momentaneæ. *Tol. lib. 5. phys. quæst. 1. Perer. lib. 14. qu. 1.*

12. Ad unitatem numericam motûs, præter uni-

unitatem numericam termini ad quem, requiritur unitas mobilis, & continuitas temporis. *Conimb. lib.* 5. *Phyſ. cap.* 4. *quæſt.* 5. *Tol. ibid. qu.* 3.

13. Motus localis dividitur in naturalem, & violentum. Naturalis motus proximè quidem à propria mobilis forma eſt, ſic tamen, ut dici poſſit à generante eſſe, ut à principio remoto. *Conimb. lib.* 8. *Phyſ. cap.* 4. *qu.* 1. *Zab. li.* 1. *de motu grav. & lev. cap.* 1. *& ſeq.*

14. Motus naturalis vel rectus eſt, vel circularis. Motus rectus principio tardior eſt, in fine velocior. Hujus rei cauſam eſſe exiſtimo, quòd medium in principio magis, in fine minùs reſiſtit. *Per. lib.* 14. *cap.* 3. *Zab. lib. citato, c.* 13.

15. Motus violentus à principio externo mobili imprimitur, vel præter, vel contra naturam mobilis. Eſtq; vel pulſio, vel vectio, vel tractio, vel circumvolutio.

16. Motus projectorum eſt à virtute corporibus projectis à projiciente impreſsâ, quæ ſit cauſa miniſtra illius motûs, eo modo, quo gravitas & levitas eſt cauſa motûs naturalis in elementis. *Scal. exer.* 28. *ſect.* 1. *Contra Percr. lib.* 14. *cap.* 4. *Zabar. lib.* 1. *de mot. grav. & lev. cap.* 17.

DISPUTATIO VII.

De Tempore.

THESIS I.

TEmpus definitur ab *Aristotele* numerus motûs secundùm prius & posterius. *lib.* 4. *Phys. cap.* 11. *Conimb. ibid. cap.* 14. *qu.* 1. *Tol. ibid. quæst.* 13. *Perer. lib.* 12. *cap.* 2. *& seq.*

2. Tempus definitur *numerus:* non quia motum facit numerabilem, aut partibus mensurabilem, (hoc enim habet motus suâ naturâ) sed quia est mensura, quâ partes motûs numerantur ac mensurantur. Contrà *Tol. lib.* 4. *Phys. qu.* 13.

3. Præterea definitur numerus *motûs:* quia temporis fluxum sine motu aut partium successione non deprehendimus.

4. Res ergò permanentes, quæ non sunt positæ in continuo partium fluxu, sed totæ simul existunt, per se non mensurantur tempore, sed ævo: &, sic principio simul ac fine carent, ut Deus æternitate. *Perer. lib.* 12. *cap.* 8. *& seq.*

5. Si tamen tempus rebus permanentibus tribuitur, id fit ratione motûs alicujus, cum quo

quo illarum duratio comparatur. Idem de quiete judicandum eſt. *Perer. lib. 12. cap. 4.*

6. Tempus ergò non exiſtit per ſe totum, neque etiam per ſuas partes, ſed per indiviſibile momentum, quo partes futuræ cum præteritis copulantur, quod Græcis τὸ νῦν vocatur. Contrà *Conimb. li. 4. Ph. c. 14. qu. 1. art. 5.*

7. Menſura & menſuratum debent eſſe in eodem genere. Quare, cùm per ſe nihil menſuretur tempore, niſi motus, aut id, quod movetur; tempus etiam debet eſſe motus.

8. Jam verò, menſura in unoquoque genere debet eſſe notiſſima, maximéq; æquabilis. Quocirca, cùm motus primi mobilis ſit omnium motuum notiſſimus, & maximè æquabilis; ſequitur, rationem temporis primariò convenire motui primi mobilis; ſecundariò, reliquis motibus, qui adhiberi ſolent ad aliorum motuum durationem menſurandam. *Conimb. lib. 4. phyſ. cap. 14. qu. 1. art. 2. Perer. lib. 12. cap. 4.*

9. Tempus igitur materialiter idem eſt cum motu primi mobilis, aut quovis alio motu menſurante: diverſum à motu menſurato. *Conimb. dict. loc. qu. 2. Perer. lib. 12. cap. 1.*

10. Forma temporis eſt, eſſe menſuram. Ratio menſuræ pendet ab intellectu. Ex quo ſequitur, tempus quoad rationem formalem, eſſe ens rationis, aut ſaltem tale, quod ab intellectu

tellectu pendet: *Conimb. dict. loc. qu. 1. art. 2. Perer. li. 12. c. 3.* Contrà *Tol. lib. 4. Phys. qu. 16.*

11. Tempus tantùm unum est, quia una tantùm est in unoquoque rerum genere mensura. *Tol. dict. lib. qu. 17. Per. lib. 12. cap. 4.*

12. Tempus ab *Aristotele* definitum, non est propria corporis naturalis aut motûs affectio: non solùm, quia ab intellectu pendet ratione formæ; sed maximè, quia potest à motu separari. Si enim, stante cœlo, reliqua moverentur, certè ea essent in tempore: attamē motus eorū cœlesti motu non mensuraretur.

13. Itaq; videtur tempus, quod quidem inter affectiones corporis naturalis numeratur, nihil aliud esse, quàm *mora motûs*, aut *durationis successivæ.*

14. Hæc mora non est ipse motus, nec vera aliqua res, sed duratio quædam imaginaria, quæ ita se habet ad durationem motûs ut se habet spatium ad corpus locatum. *Conimb. lib. 4. Phys. cap. 14. qu. 1. art. 2.*

15. In uno discrimen est, quòd singulis corporibus suum respondet spatium, ita ut duo corpora non possint esse in eodem spatio: cùm omnibus rebus, quæ simul existunt, unum sit idémque tempus.

16. Ipsa igitur mora, aut imaginaria illa duratio rerum in motu, tempus est: cœli motus non tam est tempus ipsum, quàm temporis mensura.

DISP.

DISPUT. VIII.

De Mundo.

THESIS I.

ACtum est de corpore naturali in genere, sequuntur species corporum. Atque hæ, vel omnes simul, vel singulæ seorsim considerandæ sunt.

2. Omnia corpora simul sumpta dicuntur *Mundus*, sumptâ appellatione ab ornatu. Est enim mundus diversarum rerum εὐταξία pulcherrimum quid, & perfectissimum. *Conimb. lib. 1. de cœl. cap. 1. qu. 1.*

3. Mundus est ordinata compages corporum naturalium, ab uno principio pendentium, & in unum finem tendentium.

4. Principium, sive efficiens causa, est Deus.

5. Deus mundum liberè condidit. *Conimb. lib. 8. phys. cap. 2. qu. 5. Perer. lib. 15. cap. 1.*

6. Deum mundum in tempore condidisse, non solùm S. Scripturæ testimoniis, sed etiam ratione naturali demonstrari potest. Contrà *Conimb. dict. loc. quæst. 3. Piccol. lib. de mundo. c. 25.*

7. Mundus, nec ulla omninò creatura, potest esse ab æterno, sive permanens ea sit, sive fluens,

fluens, ac succesſiva. *Tol. lib. 8. phyſ. quæſt. 2.* Contrà *Conimb. ibid. cap. 2. quæſt. 6. Perer. li. 15. c. 13.*

8. *Ariſtoteles* agnoſcit quidem Deum eſſe mundi cauſam, *Conimb. dict. loc. quæſt. 2.* ſed quæ agat ex neceſſitate naturæ. *Conimb. dict. loc. quæſt. 5.* Contrà *Tol. ibid. quæſt. 3.*

9. *Ariſtoteles* conatus eſt mundi æternitatem demonſtrare; idque ita ſeriò ac conſtanter, ut dubitari non debeat, quin crediderit mundum ab æterno fuiſſe. *lib. 8. phyſ. lib. 1. de cœl. lib. 12. Metaph.*

10. Argumenta *Ariſtotelis* aliorùmque Peripateticorum pro æternitate mundi adducta, facilè ſolvi poſſunt. *Conimb. lib. 8. phyſ. cap. 2. qu. 4. Tol. ibid. qu. 1. Perer. lib. 15. cap. 1. & ſeq. uſque ad cap. 10.*

11. Mundus non habet aliam formam præter ordinem partium, cùm ſit ex eorum numero quæ dicuntur unum per aggregationē. *Piccol. de mundo cap. 3.*

12. Itaque mundus non eſt animatus, ſive per animam mundi Deus, ſive aliud quippiam intelligatur. *Piccol. dict. loc. cap. 28.*

13. Mundus quidem unus eſt, ſed plures à Deo creari poſſunt; non tamen actu infiniti. *Conimb. lib. 1. de cœl. cap. 9. qu. 1. Piccol. de mundo cap. 8. & ſeq.*

14. Finis mundi proximus, eſt homo, aut verò hominis felicitas. Omnia enim quæ in

mundo

mundo ſunt, in hunc finem conſpirant, ut hominem ducant ad cognitionem Creatoris, utque homo cognitum Deum debitâ reverentiâ & religione colat: quæ maxima hominis felicitas eſt.

15. Mundus naturâ ſuâ indiſſolubilis eſt, ideóque æternùm eſt duraturus, continuato ordinario concurſu Dei. Et licèt ſubducto Dei concurſu interiret, credibile tamen eſt, eum nunquam interiturum. *Conimb. lib. 1. de æl. cap. 12. qu. 1.*

DISPUT. IX.

De Cœlo.

THESIS. I.

CORpus naturale, vel eſt cœlum, vel eſt corpus ſubcœleſte.

2. Cœlum non eſt ſubſtantia ſimplex, ſed compoſita ex materia & forma, ſicuti reliqua corpora. *Conimb. lib. 2. de Cœl. cap. 2. qu. 4.* Contrà *Zabar. lib. de nat. cœl. cap. 2. & ſeq.*

3. Forma cœli diverſa eſt à formis elementorum. Ideóque cœlum non eſt elementaris naturæ, ſed ſubſtantia quædam quinta, ab elementis ſpecie diſtincta. *Conimb. dict. loc. qu. 5.*

4. Vtrum

4. Vtrum materia cœli sit eadem atq; materia rerum subcœlestium, in utramque partem disputari potest. *Aristoteles* tamen videtur aliam cœlo, aliam subcœlestibus corporibus materiam tribuisse. *Conimb. dict. loc. qu. 6.*

5. Cœlum non habet qualitates activas, quibus est aliquid contrarium.

6. Ideóque, quamvis materia cæli sit capax omnium formarum, sicut materia rerum subcœlestium, cœlum tamen non est corruptibile, quia materia non est proxima causa corruptionis, sed contrariæ qualitates. Materia enim nunquam amittit formam suam, nisi à contrario expellatur.

7. Cœlum est figura rotunda, movetúrq; circa terram motu circulari, rapidissimo quidem, sed tamen constanti, maximéq; æquabili. *Conimb. lib. 2. de cœl. cap. 4. qu. 1.*

8. Cœlum non movetur ab intelligentiis ut statuit *Arist. lib. 8. phys. c. 6. l. 12. Met. c. 8.* omnésq; Peripatetici, *Conimb. 2. de cœl. cap. 5. quæst. 5.* sed à propria forma.

9. Cœlum agit in inferiora, ídq; motu, lumine, & occultis qualitatibus. *Conimb. l. 2. de cœl. cap. 3. qu 3.* Contra *Picum Mirand. l. 3. c. 5. & 6. contra Astrologos.*

10. Lux, & qualitates reliquæ, cœli motu dispensantur, & diversis mundi partibus per vices applicantur. Hinc dierum & noctium, hinc tempestatum vicissitudines. *Conimb. lib.*

lib. 2. de cæl. cap. 3. quæst. 3.

11. Cessante cœlesti motu, non cessaret tamen actio cœli in inferiora, nec motus tolleretur à subcœlestibus. Sublatâ autem actione cœli in inferiora, tolleretur etiam actio corporum inferiorum. *Conimb. ibid.*

12. Cœlum non accidentia solùm, sed & substantias inanimes producit, ut elementa, meteora, lapides, metalla, & quidem ut causa principalis. *Conimb. li. 2. de cœlo c. 3. qu. 1.*

13. Imperfecta, & αὐτόματα animatorum genera, à cœlo quidem producuntur, non ut à causa principali, sed ut à causa minùs principali, quæ sic se habet ad generationem imperfectorum animatorum, ut se habet semen ad generationem animatorum perfectorum. *Conimb. dict. cap. quæst. 6.*

14. Ad generationem perfectorum animalium cœlum solummodò concurrit dispositivè. *Conimb. ibid. art. 3.*

15. Voluntas cœlesti actioni non subjacet, nisi indirectè, quatenus nempe voluntas sequitur corporis temperamentum. *Conimb. ib. quæst. 8.*

16. Quæ à voluntate humanâ dependent, non possunt ex astrorum observatione prædici. *Conimb. ibid. qu. 9.*

17. Effecta naturalia quæ infra Lunam sunt, probabiliter tantùm prædicuntur; quæ supra Lunam sunt, certò. *Conimb. ibid.*

DISPUT. X.

De variis cœli orbibus, & ſtellis.

THESIS I.

SIcuti varius eſt cœli motus, ita corpus cœleſte variis orbibus diſtinctum eſt: quorum tamen ſupremus reliquos omnes ſine reſiſtentiâ ſecum circumducit. *Conimb. lib. 2. de cœl. cap. 5. qu. 1.*

2. Philoſophi octo diſtinctos orbes agnoverunt, ſeptem nempe orbes Planetarum, & octavum ſtellarum fixarum. Horum enim omnium motus manifeſtè conſpiciuntur diverſi. Aſtronomi poſteà duos addiderunt. Quibus id fecerint indiciis, docet *Clavius* ad Sphæram *Ioh.* de Sacroboſco. *Conimb. dicto loco.*

3. Orbes cœleſtes videntur ſpecie diverſi. *Conimb. dict. cap. qu. 3.*

4. Stella non eſt animatum quid, ſed denſior pars ſui orbis. Hinc ſequitur,

5. Stellas moveri in ſuis orbibus. *Conimb. lib. 2. de cœl. cap. 8. qu. 1*

6. Stellæ non diſtinguuntur ſpecie à ſuis orbibus, ſed tantum denſitate. *Conimb. dict. lib. cap. 7. quæſt. 7.*

7. Stellæ

7. Stellæ motu ſuo non efficiunt ſonum. *Conimb. dict. lib. cap. 9. qu. 1.*

8. A denſitate ſtellarum lux oritur. Corpus enim pellucidum, condenſatione ſui fit lucidū.

9. Lux non eſt ſtellarum forma ſubſtantialis. *Conimb. lib. 2. de cæl. cap. 7. qu. 2.*

10. Lux omnium aſtrorum eſt ejuſdem ſpeciei: *Conimb. dicto loco, qu. 3.*

11. Omnibus ſtellis ineſt aliquid nativæ lucis, aliis plus, aliis minus, prout ſunt denſiores, aut minus denſæ: Lunæ omnium minimùm, adeò ut non conſpiciatur, niſi eâ luce quam à Sole mutuatur. Et licèt non appareat, reliquas ſtellas à Sole illuminari; credibile tamen videtur, aliquid illis lucis à Sole accedere. *Conimb. citato loco qu. 4.*

12. Lumen, quod à luce in corpore pellucido generatur, non eſt corpus, ſed qualitas. *Conimb. dict. loco qu. 2.*

13. Lux illuminando calorem generat, præſertim cùm radii ab opaco corpore reflectuntur. *Conimb. ibid. quæſt. 5. Zab. de cal. cæleſt. cap. 10.*

14. Calor tanto major eſt, quanto directiùs lumen reflectitur.

15. Etiam motus cauſa caloris eſt. *Conimb. dicto loco quæſt. 6. Zab. de cal. cæleſt. cap. 3. & ſeq.*

DISPUT. XI.

De Generatione & Corruptione.

THESIS I.

SIC de cœlo; sequitur corpus subcœleste, quod, quia constat ex materia & forma dissolubiliter unitis, variis generationum & corruptionum vicissitudinibus obnoxium est. *Conimb. lib. 1. de gen. & cor. cap. 4. q. 8.*

2. Generatio est mutatio à non esse, ad esse simpliciter. *lib. 5. Phys. c. 1.* Vel, est mutatio totius, nullo manente subjecto sensibili eodem, hoc est, ejusdem speciei, *l. 1. de gen. & cor. cap. 4.* Plenius sic, Generatio est mutatio à privatione substantiali, ad formam substantialem in materia. *Conimb. dict. loco quæst. 9.*

3. Generationis terminus adæquatus est compositum: proximus & formalis, ipsa forma substantialis. *Conimb. dict. loc. quæst. 15.*

4. Quia forma substantialis non intenditur aut remittitur, nihilque ei contrarium est; sequitur, Generationem esse actionem momentaneam, totámq; formam simul ac semel introduci. *Conimb. l. 5. Phys. c. 2. q. 1.*

5. Generatio non consistit in productione formæ, sed in unitione formæ cum materia.

Conimb.

Conimb. l. 1. de gener. & corrupt. cap. 4. q. 13.

6. Ut ergò homo hominem generare recte dici possit, non est necessarium ut animam producat, sed ut materiam disponat, & animam cum præparata materia essentialiter uniat. *Conimb. ibid.*

7. Corruptio est mutatio compositi ab esse ad non esse simpliciter. *lib. 1. de gen. & cor. cap. 4. Conimb. ib. qu. 16.*

8. Generatio & Corruptio sunt mutationes non tam re quam ratione diversæ; atque hoc sensu dicitur *Generatio unius, est corruptio alterius, lib. 1. de gen. & cor. c. 3. Zabar. de gen. & int. c. 5, & 6.* Contrà *Conimb. l. 2. de gen. & cor. c. 4. qu. 17. Tol. ib. q. 3.*

9. Hujus rei duæ causæ sunt: 1. quòd materia non possit esse sine forma: 2. quòd duæ formæ specificæ non possunt esse in eadem materia. *Vid. disp. 2.*

10. In corruptione nunquam datur resolutio usque ad materiam primam. Semper enim formæ quædam accidentales servantur in re genitâ, quæ fuerant in corruptâ: & vicissim *Zabar. de gen. & int. c. 7. Tol. l. 1. de gener. & cor. qu. 7.* Contra *Conimb. lib. c. 4. q. 10.* Interdùm etiam substantiales, *Zab. dict. lib. cap. 3.* Contr. *Conimb. & Tol. locis citatis.*

11. Quicquid corrumpitur, à contrario corrumpitur: & quicquid generatur, à simili generatur. Itaq; necesse est, ut alteratio gene-

nerationem

rationem & corruptionem antecedat, quâ materia inepta redditur ad formam ſuam retinendam, & apta ad novam ſuſcipiendam.

12. Alteratio eſt mutatio ſecundùm qualitatem, eodem ſubjecto ſenſibili manente. *Lib. 1. de gen. & cor. cap. 4. Conimb. ibid. qu. 1. Tol. ibid. qu. 5.*

13. Alteratio non fit per momenta quædam diſtincta, ſed productione qualitatis, tum quoad extenſionem, tum quoad intenſionem, continuâ. *Conimb. dict. loc. quæſt. 2. Tol. ibid. qu. 6.*

14. Alteratio prævia, eſt actio reipsâ diverſa à generatione ſubſequente: ita quidem, ut forma ſubſtantialis in materia non oriatur vi præcedentium diſpoſitionum, ſed opus ſit novâ actione ad ipſam formam producendam. *Conimb. dict. lib. qu. 13.*

15. Quicquid alteratur, alterari debet ab eo, quod ei diſſimile eſt, vel quoad ſpeciem, vel quoad gradum. *Conimb. dict. l. cap. 9. qu. 2. Tol. ibid. qu. 13.*

16. Alteratio, quæ inter contrarias qualitates verſatur, ſemper eſt reciproca, ita ut, quod alterat contrarium, viciſſim à contrario, ſecundùm eandem partem eandémq; contrarietatem alteretur, ſi utrumque conſiſtat in debita diſtantia. Quòd in cæteris mutationum generibus non contingit. *Conimb. dict. lib. qu. 3. Tol. ibid. quæſt. 7. Zabar. li. de reactione.*

DISP.

DISPUTATIO XII.

De Elementis in genere.

THESIS. I.

CORpus ſubcœleſte vel eſt elementum, vel mixtum ex elementis.

2. Elementum eſt corpus, in quod reliqua corpora reſolvuntur, ipſum in alia, quæ ſpecie differunt, reſolvi non poteſt. *Lib. 1. de cœl. c. 3. Conimb. lib. 2. de gen. & cor. cap. 3. qu. 1.*

3. Elementa, cùm ſint corpora, ſuas habent formas ſubſtantiales; verùm quia nos latent, earum loco adhiberi ſolent qualitates ad elementa definienda & diſtinguenda. *Conimb. loco citato. Tol. ibid. quæſt. 1.*

4. Qualitates elementares vel primæ ſunt, vel ſecundæ, ſive ortæ à primis.

5. Qualitates primæ ſunt, quæ nec ex aliis, nec ex ſe mutuò fiunt, ſed ex quibus oriuntur cæteræ. Súntque numero quatuor, calor, frigus, humiditas, & ſiccitas. *Conimb. diſt. loc. qu. 2. Tol ibid. qu. 2.*

6. Ex his, calor & frigus dicuntur qualitates activæ; humiditas, & ſiccitas dicuntur paſſivæ, non quòd non agant, ſed quòd minùs agant, & in miſtione habeant rationem materiæ,

materiæ. *Tolet. lib 2. de gen. & cor. quæst. 3. Zab. lib. 1. de qual. elem. cap. 5.*

7 Omnes qualitates primæ sunt qualitates positivæ. *Conimb. lib. 2. de gen. & cor. c. 3. qu. 1. Scal. exerc. 18.* Contra *Cardanum.*

8. Caloris munus est, homogenea congregare, & heterogenea disgregare: frigoris, homogenea & heterogenea congregare; humiditatis, non facilè proprio, facilè alieno termino contineri; siccitatis, facilè proprio, non facilè alieno termino contineri. *Conimb. dict. loco quæst. 3. Zabar. de qual. elem. lib. 1. cap. 3, 4, & 7.*

9. Ex quatuor qualitatibus primis, duæ conveniunt singulis elementis, & quidem in gradu intensissimo. Naturalis enim qualitatum remissio, mistionem arguit. *Contarenus lib. 3. de elem.* Contrà *Conimb. lib. 2. de gen. & cor. c. 3. q. 5. Tol. ibid. qu. 6. Zabar. l. 1. de qual. elem. cap. 1.*

10. Qualitates primæ quatuor modis combinari possint. Ex quo sequitur, esse quatuor elementa, ignem, aquam, aërem, & terram. *Conimb. l. 3. de cœl. c. 3. qu. 1. Tol. 2. lib. de gen. & cor. quæst. 4.*

11. Elementa, quæ alterâ qualitate conveniunt, vocantur symbolica: quæ neutrâ asymbola.

12. Qualitates primæ, sive sint symbolicæ, sive non, sunt ejusdem speciei infimæ, etiamsi conveniant

conveniant ſubjectis ſpecie diſtinctis. *Conim. lib. 2. de gen. & cor. cap. 3. quæſt. 6, & 7. Tol. ibid. quæſt. 7. Zab. lib. 2. de qualit. elem. cap. 6.*

13. Elementum quodlibet ex quolibet generari poteſt; faciliùs ſymbolicum ex ſymbolico, quàm aſymbolum ex aſymbolo: quia faciliùs una, quàm duæ qualitates mutantur. *Conimb. dict. loc. cap. 4. quæſt. 3. Tol. ibid. quæſt. 9.*

14. Ex duobus elementis aſymbolis, generatur elementum medium, & utrique ſymbolicum: ut ex aqua & igni, aer: *Conimb. dict. loc. qu. 3. Tol. ib. qu. 10. Zab. lib. 2. de qual. elem. cap. 8.*

15. Hinc ſequi videtur, elementa aſymbola non immediatè generari ex aſymbolis. Contrà *Conimb. dict. loc. quæſt. 1. Tol. ibid. qu. 9.*

16. Qualitates ſecundæ ex multis hæ ſunt præcipuæ; raritas, denſitas, levitas, graviras. Rarum dicitur, quod habet parùm materiæ ſub magna, denſum, quòd habet multum materiæ ſub parva quantitate: leve, quod ſurſum; grave, quod deorſum movetur.

17. Elementorum motus naturalis, finitus eſt: ideóque neceſſe eſt, elementa alibi naturaliter quieſcere; gravia, ubi levia, aut minùs gravia, non ſubſident; levia, ubi gravia, aut minùs levia, non eminent.

18. Quum gravia levibus, aut minùs gravi-

incumbunt; & levia gravibus, aut etiam minùs levibus subsident, ubicunque sint nituntur; illa, deorsum; hæc sursum. *Conimb. lib. 4. de cœl. cap. 4. qu. 2.*

DISPUT. XIII.

De singulis Elementis.

THESIS I.

Ignis est elementum calidum & siccum: ideóque summè rarum ac summè leve. *Conimb. lib. 4. de cœl. cap. 4. quæst. 1.*

2. Ignis in summo loco quiescit à motu recto. Movetur autem à cœlo in orbem; sed præter, non contra naturam. Ideóque licèt hic motus violentus sit, perpetuus tamen est, quia fit sine resistentia. *Zab. de motu ignis in orbem.*

3. Ignis in suo loco naturali nec indiget motu cœli ad sui conservationem, nec pabulo. Naturâ enim suâ perennis est, quia abest à contrario. Contrà *Zab. de motu ignis in orbem.* Extra suum locum, & pabulo indiget, & circumfuso aëre, & loco, qui nec solis radiis sit, nec libero aëri expositus. *Conimb. problem ad libros de cœl. sect. 4.*

4. Aër est elementum humidum, & calidum;

dum: ideóque mediocriter rarum, ac mediocriter leve. *Conimb. lib. 2. de gen & cor. cap. 3. qu. 4, & 5. Tol. ib. quæst. 5.*

5. Aër tribus regionibus distinguitur: quarum infima pertingit ab aquæ & terræ superficie, usque quò radii solis reflectuntur; media, à reflexione radiorum ad summitates montium; summa inde ad orbem ignis.

6. Infima aeris regio æstate major est, hyeme minor; contrà, media, æstate minor est, hyeme major: quia radii solares æstate rectiùs, ideóque altiùs, reflectuntur.

7. Calor naturalis mediæ regionis non impedit, quò minùs vapores peregrino calore & levitate sublâti, ad pristinum frigus ac gravitatem redeant. Humiditas enim caloris ac frigoris activitatem retundit, sicuti siccitas acuit. *Zabar. de reg. aëris, cap. 7.*

8. Quod adeò verum est, ut vapores, recuperato naturali frigore, ipsum aeris calorem naturalem debilitent, ut media aeris regio præ cęteris videri possit frigida. *Zab. ibidem.*

9. Aqua est elementum humidum & frigidum: ideóque mediocriter densum, ac mediocriter grave. *Conimb. lib. 2. de gen. & cor. c. 3. quæst. 4, & 5. Tol. ibid. quæst. 5.*

10. In mundi exordio, terrâ aliquâ sui parte extra naturalem locum constitutâ, aqua recepta fuit intra terræ cavitates, ut terra quâ parte aquis extaret, hospitium præbere

animantibus.

11. Mare cum terra constituit unum globum, idémque est utriusq; centrum. Itaq; mare non est altius terrâ hoc est, superficies maris non distat longiùs à centro terræ, quàm superficies ipsius terræ. *Conimb. lib. 2. de cœl. cap. 14. qu. 3, & 4. Clavius ad Sacroboscum.*

12. Maris salsedo à creatione est: conservatur à calore solis, tenuiores aquæ partes extrahentis, & crassas, atq; adustas, in quibus salsedo hæret, relinquentis. *Conimb. de meteor. tract. 10. Scal. exer. 51.*

13. Mare varios habet motus, sed duos cæteris notiores: eorum alter est, quo mare fertur ab ortu in occasum. Hic motus haud dubiè est à motu primi mobilis. *Conimb. ibid. tract. 8. cap. 3.*

14. Alter motus est reciprocatio, quâ mare nunc ad littora fluit, nunc ab iis refluit. Hic motus, etsi sequatur Lunæ motum, non tamen à solo Lunæ motu videtur dependere, sed etiam à causa aliqua occultiore. *Conimb. dict. l. c. 5.* Contra *Picum Mirand. li. 4. cap. 15. contra Astrolog.*

15. Fontes & flumina pleraque à mari oriuntur. *Conimb. ibid. tract 9.*

16. Terra est elementum siccum & frigidũ: ideoq; densissimum, & gravissimũ. *Conimb. l. 2. de gener. & cor. c. 3. qu. 4, & 5. Tol. ibid. qu. 5.*

17. Quum incluſus terræ cavernis spiritus,

vel

vel antiperistasi frigoris, vel motu accensus, materiam sulphuream, ac bituminosam invadit, efficit ignem subterraneum: qui maximâ sæpè violentiâ erumpit, ut fit in *Vesuvio Italiæ*, atque *Ætnâ Siciliæ* monte. *Conimb. de meteor. tract. 12. cap. 2.*

DISPUT. XIV.

De Mistione & Temperamentis

THESIS.

ACtum est de elementis, sequitur corpus mistum, quod ex elementorum mistione generatur.

2. Mistio est miscibilium (id est, elementorum) alteratorum unitio. *Lib. 1. de gener. & cor. cap. 10. Conimb. ibid. qu. 2.*

3. Hæc *unitio* non consistit in appositione, aut confusione, sed in substantiali conjunctione elementorum; quâ fit, ut ex quatuor diversis elementis, fiat una substantia mixta. Ideóque nihil aliud est, quàm misti generatio. *Zab. lib. 1. de misti gen. & int. cap. 19.*

4. Misti generatio definitur ab *Aristotele*, mutatio à qualitatibus activis proportionem cum subjecta materia (id est, cum qualitatibus

passivis, humido & sicco naturæ (id est, formæ generandæ) convenientem habentibus. *Lib. 4. meteor. cap. 1. Zab. citato loco, cap. 2.*

5. Quod aliter mistio, aliter misti generatio definiatur, id est ex diverso respectu. Mistio enim de elementis dicitur; generatio, de substantia genita. Elementa enim misceri, at substantia generari dicitur. *Zab. dict. loc. c. 9.*

6. Mistio ergò peragitur hunc in modum: Primùm coguntur elementa in unum locum à cœlo, idque justâ proportione, ne unum elementum cætera in naturam suam convertat. Deinde in minimas particulas distracta, mutuâ actione & passione se invicem debilitant, & secundùm omnes partes immutant. *Conim. lib. 1. de gen. & cor. cap. 10. qu. 1. Tol. ibid. quæst. 19.*

7. In hac elementorum pugna, primùm agit contrarium in contrarium, calidum in frigidum, & humidum in siccum: & quia calor & frigus habent maximam activitatem, primò absolvitur harum qualitatum contemperatio, quâ ex duabus qualitatibus extremis, fit una media, nempè temperatus calor.

8. Hic temperatus calor agit deinde in siccum & humidum, ut in materiam, eumque sic regit ac terminat, ut inde mixti forma resultet, sub qua quatuor elementa uniuntur essentialiter. *Zab. lib. 1. de gen. & int. mist. cap. 7.*

9. Ad

9. Ad formæ ſubſtantialis eductionem cœlum concurrit ut cauſa efficiens, remota quidem, ſed principalis; calor elementaris, ut proxima, & inſtrumentalis: frigus ad miſti generationem tantùm concurrit per accidens. Calorem enim retundit ſolùm; formæ ſubſtantialis eductionem non attingit. *Conimb. lib. 1. de gen. & cor. cap. 3. quæſt. 1. Tol. ibid. quæſt. 19. Zab. cit. loc. cap. 4. & ſeq.*

10. In mixti corporis generatione, elementa pereunt: formæ tamen elementorum ſubſtantiales non penitùs abolentur, nec etiam manent integræ in miſto, ſed refractæ. *Zabar. lib. de miſtione.* Contrà *Conimb. cit. lib. cap. 10. quæſt. 3. Tol. ibid. quæſt. 17.*

11. Similiter & qualitates caſtigantur, & mutuâ actione & reactione remittuntur. *Conimb. dict. lib. quæſt. 4.*

12. Harum qualitatum & formarum refractarum adminiculo, miſtum reſolvitur in elementa, idque eâ proportione, quâ ex elementis coaluerat.

13. Atque hoc ſenſu dicuntur elementa in miſto remanere virtualiter. Quamvis enim ipſa pereant, eorum tamen formæ ſubſtantiales, & qualitates caſtigatæ in miſto manent.

14. Primarum qualitatum mixti formæ conveniens miſtura, temperamentum apellatur.

15. Temperamentum ergò non est simplex aliqua qualitas, à quatuor primis qualitatibus distincta, sed ipsæ primæ qualitates refractæ. *Conimb. lib. 2. de gen. & corrup. cap. 8. quæst. 1. Tol. ibid. qu. 18.*

16. Temperamentum aliud est uniforme; aliud difforme: illud *temperamentum ad pondus*, hoc *temperamentum ad justitiam* appellari solet.

17. Temperamentum uniforme dicitur, in quo omnes qualitates æquali graduum proportione coëunt.

18. Tale temperamentum in toto aliquo corpore inanimi ut dari fortè possit, in toto animato non potest: &, si forte in aliqua viventis parte dari possit, non potest esse diuturnum. *Conimb. ibid. qu. 2.*

19. Temperamentum difforme dicitur, in quo vel una aliqua, vel duæ qualitates, cæteras superant: illud, simplex: hoc, compositum vocatur.

20. Vtrumque est quadruplex. Nam & in singulis qualitatibus potest esse excessus, & excedentes qualitates quatuor modis possunt combinari.

21. Si excedit calor & siccitas, erit temperamentum igneum; si calor & humiditas, aëreum; si humiditas & frigus, aqueum; si frigus & siccitas, terreum. In animalibus vocantur, cholericum, sanguineum, phlegmaticum, & melancholicum.

DISP.

DISPUTATIO XV.

De putrefactione.

THESIS I.

Mistum tribus modis interit, putrefactione, combustione, & petrificatione. *Zab. l. 2. de misti gener. & inter. c. 2.*

2. Putrefactio dicitur interitus misto naturalis; combustio & petrificatio, violentus: quia universalis naturæ lege constitutum est, ut mistũ putredine intereat. *Zab. ibi. c. 3. & seq.*

3. Putrefactio est corruptio caloris proprii ac naturalis, in unoquoque humido à calore ambiente. *Lib. 4. meteor. cap. 1. Zab. lib. 3. de misti gener. & inter cap. 5.*

4. Frigus non concurrit ad putrefactionem ut causa positiva, sed ut mera privatio caloris. *Zab. ibid. lib. 2. cap. 8.*

5. Calor naturalis corrumpi dicitur, quia ab ambiente calore intenditur, atque ita ex naturali ac temperato calore, fit calor non naturalis, atque intemperatus. *Zab. ibid. l. 2. c. 9.*

6. Calor naturalis, ubi ab ambiente calore auctus est, sensim evaporat *in unoquoque humido*, sive naturale illud fuerit, sive adventitium: priùs tamen in adventitio. *Zab. ib. l. 2. c. 10.*

7. Calor ambiens debet esse debilis, & lentus: si enim intensus sit, & vehemens, vel urit, vel siccat, & humidum resolvit, priusquam calor possit evaporare. *Zab. ib. lib. 3. cap. 5.*

8. Itaque quæ valdè calida, aut valdè frigida sunt, non facilè putrescunt: putrescunt tamen, quia actio caloris ambientis, licèt sit intensione debilis, est tamen extensione & perseverantiâ maxima & validissima. *Zab. ibid.*

9. Cùm naturalis calor evaporavit, defluit humidum naturale, & siccas partes destituit. In hac humidi & sicci separatione, consistit mixti interitus. *Zab. ibid. lib. 2. cap. 6.*

10. Putrefactionis varii sunt gradus. Interdum enim omne humidum à sicco separatur: & tum res putrescens in elementa dissolvitur. Hæc vocatur putrefactio *totalis*.

11. In quibusdam major est humidi copia, quàm ut possit totaliter à sicco separari. Hæc dicuntur *secundùm partem* putrescere. *Zab. ibid. lib. 2. cap. 14.*

12. Putrefactio secundùm partem locum habet in mixtis liquidis: ut vino, lacte, sanguine: & in elementis, aëre, aquâ & terrâ, impuris. Ignis non putrescit. *Zab. ibid.*

13. Mixta liquida, quando *secundùm partem* putrescunt, interdum vitiantur quoad solas qualitates, interdum ipsa etiam forma substantialis aboletur. Illa inchoata, hæc perfecta

putredo

putredo est. Elementa, cùm sint corpora simplicia, non possunt perfectè putrescere. *Zab. ibid. cap.* 15.

14. Acetum non est vinum putrefactum, sed mortuum. *Zab. ibid. lib.* 3. *cap.* 9.

15. Combustio est totius mixti à vehementi calore in ignem & cineres mutatio. Cineres enim sunt partes terræ quæ propter magnam vim resistendi, non potuerunt transmutari.

16. Putrefactio est totius mixti à vehementi frigore in terram mutatio.

DISPUT. XVI.

De Meteoris.

THESIS I.

CORpus mixtum vel inchoatum est, vel perfectum. Inchoatum dicitur, in quo, vel non omnia elementa coeunt, vel aliquid elementi species actu remanet. Quale est exhalatio.

2. Exhalatio vel fumus est, vel vapor. Fumus, quia ex terra educitur, siccus est; vapor, quia ex aqua, humidus: uterque calorem habet ab astris impressum; & raritatem, ac levitatem, caloris comites.

3. Exha-

3. Exhalatio non differt ſpecie à terrâ, aut aquâ; ideóque facilè redit ad priſtinam naturam. *Conimb. de meteor. tract. 1. cap. 1.*

4. Quando exhalatio formas quaſdam accidentales, atque impreſſiones recipit, dicitur *meteorum.*

5. Impreſſiones aut veræ ſunt aut apparentes. Veræ, vel in fumo ſunt, vel in vapore. Fumus alius pinguis eſt, alius aridus. Cùm fumus pinguis, motu, calore, aut antiperiſtaſi frigoris accenditur, dicitur meteorum igneũ.

6. Inter ignea meteora primum locum tenet *cometa*, qui eſt maxima fumi pinguis ac viſcoſi copia, in ſupremam aeris regionem vi ſiderum educta, ibiq; conglobata primùm arctéq; cõpacta, deinde accenſa, ac ſtellæ inſtar lucens. *Con. de meteor. tract. 3. Keck. l. 6. Ph. c. 5.*

7. Si qui cometæ in regione cœleſti, hoc eſt, ſupra lunam compareant, ii non ſunt meteora, ſed corpora ſimplicia, quæ videntur fieri ex cœleſti ſubſtantiâ condenſatâ.

8. Cometæ caudam habent à ſole ferè averſam; vel quia, quâ parte ſolem aſpiciunt, cometæ partes tenuiores, quæ caudam faciunt, ſolis calore abſumuntur: vel quia radii ſolares per corpus cometæ tranſeuntes refranguntur, vt caudam facere videantur. *Scal. exerc. 72.*

9. Cometæ non ſigna tantùm, ſed & cauſæ ſunt tempeſtatum, ſterilitatis, peſtis: bella, princi-

principium interitus, provinciarum mutationes, & id genus alia, quæ à voluntatis arbitrio pendent, nec à cometis fiunt, nec indicantur naturaliter. *Conimb. de meteor. tract. 3. cap. 5. Scal. exerc. 72.*

10. Reliqua meteora ignea evanida sunt, quia habent fumum subtilem, ac parùm viscosum. In suprema aeris regione gignuntur, flamma, fax, trabs, ignis pyramidalis, scintillæ volantes, capræ saltantes. In media, stella cadens, & titio. In infima, draco volans, ignis fatuus, ignis lambens, Castor & Pollux, Helena. *Conimb. de meteor. tract. 2. cap. 2.*

11. Ex fumo arido seu flatu, generantur meteora aerea, ventus, & terræmotus. Ventus generatur, cùm flatus copiosi, siderum virtute in sublime efferuntur, & frigore mediæ regionis aeris repulsi, partitâ veluti contentione, in obliquum feruntur. *Conimb. de meteor. tract. 6.*

12. Terræmotus generatur, quum copiosi flatus terræ cavitatibus inclusi, exitum quærunt, & quà erumpant, non invenientes, in se revolvuntur, factóq; conflictu, terram concutiunt. *Conimb. ibid. tract. 11. Keck. de terræmotu.*

13. Cùm vapor colligitur, & condensatur, generantur meteora aquea, nubes & ros. Nubes est crassus vapor, in media aeris regione condensatus. *Conimb. ib. tract. 7.*

14. Ex

14. Ex nube fit pluvia, grando, nebula & nix. Pluvia, cùm nubes constringitur, & in aquam soluta, guttatim decidit. Grando, cùm guttæ inter cadendum congelantur. Nebula, cùm aliqua pars nubis, quæ in aquam non potest cogi, inferiorem aerem occupat. Quanquam aliquando vapores, qui ob spissitudinẽ non possunt in mediam aeris regionem efferri, infimam nebulosam efficiunt. Cùm nubes congelantur, antequam soluta est, nix generatur. *Conimb. ib.*

15. Ros gignitur, cùm subtilis vapor, qui à debili solis occidentis calore evocatus, ob defectum caloris non potest in altum subvehi, nocturno frigore condensatur in exiguas guttulas. Quæ, cùm rigent, pruina dicuntur. *Conimb. ib.*

16. Si cum tenui vapore, ex quo ros generatur, partes quædam terræ subtiles attollantur, & cum humido, debito modo miscentur, gignitur mel, aut manna. *Conimb. ib. cap. 9, & 11.*

17. Quando fumus in crassa ac densa nube concluſus, motu, frigoríve antiperistasi, incalescit, atque attenuatur, majorem locum quærens, cum fragore ac coruscatione erumpit. Hic fragor tonitrus & coruscatio, fulmen dicitur. Interdum etiam comprimitur fumus rarior intra nubes, earúmque collisione accenditur. Hæc coruscatio dicitur fulgur. *Conimb. ib.*

ib. tract. 2.

18. Meteora apparentia dicuntur, quæ oriuntur à lucis in nube aut vapore refractione aut reflectione: ut sunt iris, halo, parelius, fovea, virgæ. Quorum ratio petenda est ex Opticis: *Conimb. ibid. tract.* 4, & 5.

19. Corpus perfectè mixtum est, in quo omnia elementa sic concurrunt, ut nullum eorum suam speciem retineat.

20. Corpus perfectè mixtum, vel est inanime, vel vivens. Corpus inanime, vel est minerale: ut metallum, lapis, succus, &c. vel cadaver: sed harum rerum specialiorem cognitionem Chymicis & Medicis relinquimus.

DISPUT. XVII.

De Anima, Vita, & Morte.

THESIS I.

CORpus vivens dicitur, quod ex animâ & corpore, variâ organorum structurâ prædito, conflatum est.

2. Anima non est temperamentum, aut ullum alterius generis accidens, sed substantia. *Conimb. lib. 2. de animâ cap. 1. qu. 1. scel. 3. & 4. Tol. ibid. quæst. 1.*

3. Anima non est materia, nec corpus, sed forma,

forma, sive ἐντελέχεια, Latini *actus* dicunt. *Conimb. ib. art. 5.*

4. Anima non est actus assistens, sed informans, & vera viventis forma. *Conimb. ibid.*

5. Anima est actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis. *Lib. 2. de Anima cap. 1. Conimb. ibid. quæst. 1.*

6. Corpus, quod ab anima informatur, est materia prima, non solùm, accidentibus quibusdam, sed & substantiali formâ, quæ ex mistione oritur, dispositâ atque affectâ. *Zab. de com. gen. & int. cap. 2. & seq.* Contrà *Conimb. l. 1. de gen. & cor. cap. 4. quæst. 19, & 20.*

7. Hæc forma substantialis ex formis organicarum partium componitur. Vt enim partes organicæ temperamento, ita etiam formâ differre credibile est. Contrà *Conimb. dict. loc. quæst. 22.*

8. Conjunctionem animæ, & corporis, sequitur vita, quæ nihil aliud est, quàm motio animati à se ad positionum differentias, ob mansionem animæ cum corpore.

9. Animæ & corporis conjunctio pendet ab humidi radicalis ac primigenii, & nativi caloris, debitâ proportione.

10. Cor in perfectis animalibus est fons caloris, à quo spiritus vitales per arterias in totum corpus diffunduntur, qui calorem à corde haustum, ad omnes partes devehunt, & calorem singulis partibus insitum instaurant

11. Cor,

11. Cor, ne suo ipsius calore, suffocetur, indiget respiratione. Attracto enim à pulmonibus aere, cor refrigeratur, eodémque rursus emisso, à fuliginibus liberatur.

13. Imperfecta animalia, quia carent sanguine, ac proinde frigidora sunt, non respirant. Pisces sui refrigerandi causâ, aquam ore hauriunt, & per branchias emittunt. Amphibia respirant, sed rarò, ob debilem calorē.

13. Vita vel longior est, vel brevior, prout animati temperamentum, vel melius est, vel deterius. Longævi sunt, in quibus, calor nativus blandus est ac benignus; & humidum radicale, aereum. Contrà brevis vitæ sunt, in quibus calor igneus est, & humidum aquosum.

14. Vitæ longitudo vel brevitas etiam ab externis causis pendet, puta ab aere ambiente, victu, venere, somno, vigiliâ, ejectione aut retensione excrementorum, animi perturbatione, aut tranquillitate, &c.

15. Nulla vita perpetuari potest naturaliter, quia humidum radicale assiduò à calore carpitur. Et licèt partes humidi deperditæ nutritionis beneficio restaurentur; necesse tamen est, humidum sensim vilescere & calorē minui.

16. Mors est privatio vitæ ob animæ separationem à corpore. Hæc separatio tum fit, cùm calor naturalis extinguitur.

17. Mors alia naturalis est, alia violentia

Mors

Mors naturalis dicitur, cùm humidum radicale senium absumitur, & cum eo calor naturalis ut sit in senibus: violenta, cùm vel naturalis calor extinguitur à contrario frigore, vel cùm calor naturalis suffocatur, vel denique cùm pars aliqua vitalis læditur.

DISPUTATIO XVIII.

De Anima vegetativa, ejúsq; affectionibus.

THESIS I.

ANimarum species tres sunt, vegetativa, sensitiva, & intellectiva sive rationalis. *Conimb. lib. 2. de anima, cap. 3. quæst. 1. Tol. ibid. qu. 6.*

2. In unoquoque composito tantùm est una anima. In plantis vegetativa, in bestiis sensitiva, in homine intellectualis. Harum tamen posterior priorem quamque eminenter ac virtualiter continet. *Conimb. lib. de gen. & cor. cap. 4 qu. 21. Tol. lib. 2. de anima, quæst. 7.* Contrà *Zab. è facul. animæ cap. 5. & seq.*

3. Anima vegetativa, & sensitiva, sunt formæ materiales: ideóque extensæ ac divisibiles ad extensionem & divisionem materiæ. *Conimb. lib. 2. de anima, c. 1. qu. 8. Tol. ib. qu. 5.*

4. An-

4. Anima vegetativa in plantis sola est, omnémque perfectiorem animam excludit. Atque istoc modo plantarum forma est.

5. Facultates, quæ à triplici animâ fluunt, ad quinque genera possunt revocari, ad vim vegetandi, sentiendi, appetendi, loco-movendi, & intellligendi, Et quia sensus & appetitus semper conjunguntur, quatuor erunt diversa genera, aut gradus, viventium. *Conimbr: dict: lib: cap: 3. qu: 2. Tol: ib: qu: 6.*

6. Facultates diversarum animarum inter se, & ab animæ substantiâ, realiter differunt. *Conimb: ib: cap: 3. qu: 4. Tol. qu. 9 Zab. de facult. animæ cap. 2.*

7. Facultates, quæ ab anima vegetativâ & sensitivâ fluunt, ne loco-motivâ quidem exceptâ, in compsito animato; quæ ab anima intellectivâ oriuntur, in solâ animæ substantiâ residen. *Conimb. ib .cap. 3. qu. 3. Tol. quæst. 9.*

8. Animæ vegetativæ tres sunt facultates, nutrix, auctrix, & generatrix. Quarum duæ priores non tam re, quàm ratione, ac definitione differunt: tertia ab utraque reipsa distinguitur. *Tolet. ibid. quæst. 10.* Contrà *Conimb. ib. cap. 4. quæst. 1.*

9. Tres hæ facultates versantur circa alimentum: nutritio & generatio, quatenus substantia est; augmentatio, quatenus quantum.

10. Alimentum debet viventi partim simile esse,

esse, partim dissimile. Ideóque purum elementum non potest esse viventis alimentum. *Conimb. lib. 1. de gen. & cor. cap. 5. quæst. 6. & 7. Tolet. ibid. quæst. 12.*

11. Nutritio est alimenti præparati conversio in substantiam viventis, ad partium deperditarum instaurationem. Est ergò nutritio quædam partium novarum generatio, aut potiùs aggeneratio. *Conimb. dict. lib. cap. 5. quæst. 11.*

12. Quemadmodum non materia solùm viventis, sed & forma quotidiè aliquâ sui parte diffluit, si sit materialis: ita quoque necesse est, formam simul cum materia reparari. *Conimb. dict. loco quæst. 19.* Contrà *Zab. lib. de accret. cap. 15. & 16.*

13. Ideóque cùm vivens dicitur idem numero toto vitæ cursu permanere, id non de identitate totius, aut partium intelligendum est, sed de identitate, quæ sit secundùm continuam partium successionem. *Conimb. & Tolet. dictis locis.*

14. Formæ immateriales, quales sunt animæ humanæ, nec perire possunt nec reparari, ne quidem ex parte: possunt tamen præparatum alimentum subire; ejusque substantiam viventi conjunctam, indivisibili suâ intitate informare.

15. Quia alimentum est substantia corporea & quanta, non potest vivens nutriri nisi,

nisi eâdem actione crescat. Contrà *Conimb. dict. loc. quæst. 13. & Tol. ibid. quæst. 8.*

16. Omne vivens nutriri debet: & quidem totâ vitâ. *Conimb. dict. loc. quæst. 9 et 10.* Non tamen totâ vitâ crescit. *Conimb. dict. loc. qu. 14.* Quin etiam decrescit; tum nimirum cùm minus nutrimenti in viventis substantiam convertitur, quàm ante nutritionem perierat.

17. Quod augetur, augetur secundùm omnes partes, & dimensiones, recepto alimento in corporis poris. Quòd autem corpus vivens excrescat in longitudinem magis quàm in latitudinem, in eo sequitur legem virtutis plasticæ *Conimb. loc. qu. 15. Tolet. ibid. quæst. 10.*

18. Alimentum non distribuitur in minima, ut vocant, naturalia, sed in partes divisibiles, quæ singulæ in singulis poris recipiuntur. Hæ partes non in momento, non etiam per momenta discreta, sed actione continuâ, in substantiam viventis convertuntur. *Conimb. dict. loc. quæst. 16. Tol. ibid. qu. 11.*

19. Generatio est productio animati ab animato interventu seminis. Ideóque est naturalissimum opus viventis. *Tol. lib. 2. de anima, qu. 11.*

20. Semen in perfectis animalibus ab utroq; quidem sexu suppeditatur: verùm vis plastica in solo maris semine est. Ideoq; fœmineę

concurrunt

concurrunt passivè tantùm ad generationem. *Conimb. lib. 1. de gen. & cor. cap. 4. qu. 27.*

DISPUT. XIX.

De Anima sentiente, & sensu in genere.

THESIS I.

SIc de anima vegetativa: sequitur sensitiva, quâ animal sentit, appetit, & loco movetur.

2. Sensus est facultas animalis, quâ objectum sensibile cognoscit. Ejus functio, vocatur *sensio*.

3. Ad sensionem quatuor requiruntur *Objectum, organon, species, & medium*.

4. Objectum sensûs est singulare materiale; universalia, aut immaterialia sub sensum non cadunt.

5. Objectum sensûs aliud est per se, aliud per accidens. Objectum per se dicitur, quod per se sensum movet. Estque vel commune vel proprium. Commune dicitur, quod pluribus proprium, quod uno tantum sensu percipitur.

6. Objectum commune, etsi per se sensum afficiat, *Tol. lib. 2. de anima, qu. 15.* non tamen

men propriam sui speciem organo imprimit; sed sentitur in specie objecti proprii modificatâ. *Conimb. 2. de animâ cap. 6. qu. 5. Tol. lib. qu. 14.*

7. Objectum commune est quintuplex, motus, quies, magnitudo, numerus, & figura. *Conimb. dict. loc. qu. 4.*

8. Sensus hallucinatur faciliùs circa commune, quàm circa proprium objectum. *Conimb. dict. loc. quæst. 6. Tol. ibid. qu. 13.*

9. Objectum per accidens dicitur, quod cum eo conjunctum est, quod per se sentitur.

10. Organon est pars animalis, in qua objectum percipitur.

11. Organon debet esse vacuum qualitate sensibili ejusdem speciei, & gradûs.

12. Objectum agit in organon per species. *Conimb. lib. 2. de anima, cap. 11. qu. 3. Tol. lib. 3. de anima, quæst. 2.* Imò non agit nisi per speciem, quatenus sentitur. *Zabar. de sensu agente cap. 4.* Contrà *Conimb. & Tol. citato loco.*

13. Species quâlibet sui parte integrum objectum repræsentat, *Tol: lib. 2. de anima quæst. 34.*

14. Species ab objecto producuntur naturaliter. Itaque non est opus sensu agente. *Zab. de sensu agente cap. 5.*

15. Objectum vehemens lædit organon; non

non quatenus agit per species; sed quatenus præter speciem producit aliquam qualitatem primam, aut motum localem in organo. *Contra Conimb. lib. 2. de anima cap. 12. qu. 1. & Tol. ib. lib. 3. qu. 4.*

16. Objectum positum in organo non sentitur. Ex quo sequitur, necessarium esse medium ad sentiendum, per quod species ab objecto fluentes in omnem partem propagentur. Contrà *Conimb. lib. 2. de anima cap. 11. qu. 3. & Tol. ibid. lib. 3. qu. 2.*

17. Non objectum tantùm, sed & sentiendi facultas sive anima concurrit activè ad sentiendum. Ex quo sequitur, sensum non esse facultatem merè passivam. *Conimb. lib. 2. de anima cap. 6. qu. 1. Tol. ibid. qu. 12. Zab. de sensu agente cap 9.*

Disput. XX.

De Visu.

Thesis I.

Sensus alius externus est, alius internus.

2. Sensus internus non percipit nisi res præsente. Species enim (sive quibus non fit sensio) sublato objecto tolluntur, quia pendent ab illius actuali influxu. *Conimb. lib. 2. de*

de anima cap. 6 qu. 2 art. 3.

3. Sensus externus non sentit se sentire. *Conimb. ib. qu. 2. Tol qu. 3.*

4. Sensus externi sunt quinque: visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus. *Conimb. ib. 3. de anima cap. 1 quæst. 1. Tol. ibid. quæst. 1.* Contrà *Scal: exerc: 286. sect. 3.*

5. Visus est sensus externus eorum, quæ vim habent radiandi. Qualia sunt lux, color, & ea quæ noctu lucent.

6. Lux oritur ex terminatione solius perspicui: color, ex terminatione perspicui, cum admixtione opaci. Prout enim plus aut minus opaci perspicuo admiscetur, eo magis, aut minùs color à lucis natura recedit, & ad tenebras, seu nigrorem vergit.

7. Terminari dicitur perspicuum, quando condensatur. Perspicuum enim interminatum si sit, ac tenue, transparet: si condensetur, fit conspicuum, ac terminat visum. *Zab. lib. 1. de visu, cap. 2.*

8. Corpora perspicua sunt cœlum, ignis aer, aqua: sola terra inter corpora simplicia opaca est. Cœlum condensatum lucet luce puriſſimâ, ut in astris videre est. *Zab. ib.*

9. Elementa condensari nequeunt sine terrestri materiâ. Terra cum perspicuis elementis vel componitur tantùm, vel etiam commiscetur. Si terra cum iis tantùm componatur, sic ut perspicua naturam suam non

amittant; ignis condensatus lucet, sed luce impuriore, ut in flamma. Aër & aqua, si condensentur, albescunt. Ipsa terra nigra est, *Zab. ibid.*

10. Si terra cum perspicuis elementis sic commiscetur, ut illa naturam suam perdant; & ignis splendor amittitur, & aeris atque aquæ albor remittitur; idque vel magis, vel minùs, prout plus terræ iis admixtum est. *Zabar. ibid.*

11. Quod si terra elementa perspicua superet, nigror inde fit, vel intensior, vel remissior, prout terra magis, minúsve prædominatur. *Zab. ibid.* Colores medii oriuntur ex justa temperatione extremorum. *Za. Ib.*

12. Huiusmodi colores appellantur veri, ac reales; quia constantes sunt, pendéntque ab ipsa natura corporis colorati, non ab influxu, aut irradiatione externæ lucis. *Zabar. Ibid.*

13. Ex quo sequitur, colores non solùm esse in extima corporum superficie, sed per omnes partes, etiam intimas, diffusos; licèt in superficie tantùm videantur. *Genimb. lib. 2. de anima cap. 7. qu. 2. Tol. ibid. qu. 17. Zabar. dict. loco.*

14. Colores apparentes dicuntur, qui oriuntur ex mistione specierum in medio. Cùm enim species lucis, & colorum, vel etiam diversorum colorum species inter se, in medio

medio commiſcentur, & per eandem lineam ad oculos deferuntur, talem colorem referunt, qualis oriretur ex verâ mixtione coloris cum luce, aut eorum colorum inter ſe, à quibus iſtæ ſpecies fluxerunt. *Zab. dict. loco.*

15. Lux & color ad viſum deferuntur per medium perſpicuum illuminatum. Quam ob cauſam dicitur lumen *actus perſpicui, quatenus perſpicuum. Zabar. dict. lib. cap. 3.*

16. Lux per ſe viſibilis eſt: color non niſi lucis, aut luminis beneficio. Lumen ad viſionem requiritur, tum propter colores, tum propter, medium. *Conimb. lib. 2. de anima cap. 7. qu. 4. Zabar. dict. lib. cap. 11.*

17. Organon visûs eſt oculus aut humor oculi medius, qui chryſtallinus appellatur. Fit ergò viſus receptione ſpecierum, non emiſſione radiorum. *Conimb. dict. lib. qu. 5, 6, & 7. Tol. ib. qu. 17. Zab. lib. 1. de viſu cap. 8. & lib. 2.*

18. Viſio directa fit per lineas rectas, quæ à qualibet objecti parte in centrum oculi incidentes, figuram faciunt conicam. Hinc petenda cauſa eſt, cur res non appareant geminæ in oculis geminis: tum etiam, cur appareant geminæ, altero oculo diſtorto.

DISPUT. XXI.

De Auditu, Odoratu, Gustu, & Tactu.

THESIS I.

AUditus est sensus externus circa sonum.

2. Sonus oritur ex fractione aeris, aut etiam aquæ inter duo corpora collisæ, *Conimb. l. 2. de anima c. 8. qu. 1. Tol. ib qu. 19*

3. Corporum collidentium soliditas, levitas, & cavitas, non sunt necessaria ad faciendum sonum simpliciter; sed ad faciendum sonum vehementem, & prolixum. *Conimb. ibid.*

4. Sonus non est in corpore sonante, sed in medio aere, vel aquâ, quæ à sonante corpore frangitur. *Conimb. dict. loc. quæst. 2. Tol. ibid. quæst. 20.*

5. Sonus ad aurem defertur secundùm esse intentionale, sive per species; non secundùm esse reale. *Tol. dict. lib. quæst. 21.* Contrà *Conimb. dict. lib. qu. 2. art. 2.*

6. Species soni materialiores sunt, quàm species colorum aut lucis; ideóque tardiùs ad organon perveniunt, & adverso vento impediuntur.

7. Cùm species soni in corpus cavum incidentes resiliunt, Echo auditur. Echo ergo

non est novus sonus, sed idem sonus iterum auditus. *Tolet. dict. lib. quæst. 22.*

8. Etsi ad audiendum sit necessarius aer innatus, qui in interiore aure continetur, & ab externo aere tenui membranâ, quæ tympanum dicitur, discernitur: tamen is non est organon auditûs, sed pars aliqua interior auriculæ animatæ; cum qua nervus auditorius coniungitur. Contrà *Conimb. dict. l. c. 8. qu. 4.*

9. Odoratus est sensus externus circa odorem.

10. Odor oritur ex sicci terrei prædominantis, & humidi aërii decoctorum mixtione. *Conimb. dist. lib c. 9. quæst. 2. Tolet. qu. 25.*

11. Organon odoratûs sunt carunculæ, sive processus mammillares, in superiore narium parte siti. Hæ carunculæ, quia membranâ, aut, ut volunt Anatomici, ipsâ narium carne tectæ sunt, odores non percipiunt, nisi inspiratione. In piscibus tamen, aliisque animalibus quæ non respirant, credibile est, organon odoratûs tectum non esse. *Conimb. dict. loc. qu. 4. Tol. ib. qu. 26.*

12. Medium, per quod odor ad organon diffunditur, est aer & aqua. *Conimb. dict. loc. qu. 3. art. 2.*

13. Odor per medium propagatur secundùm esse intentionale, hoc est, per species. Quòd si ipse odor interdum propagetur, id fit per accidens, cùm scilicet tenuis substan-

tia à re odorifera, & in ea odor evaporat. *Conimb.dict.loc. art.1.Tol.ibid.qu.28.*

14. Odorum differentiæ non possunt explicari, nisi per analogiam cum saporibus: quia homo habet odoratum obtusiorem, quàm ullum aliud genus animalium. *Conimb. dict. loc. qu.5.Tolet.qu.25.*

15. Gustus est sensus externus circa saporem.

16. Sapor oritur ex humidi aquei prædominantis, & sicci terrei decoctorum mixtione. *Conimb.dict. l.cap.10. qu.1.Tol. qu.29.*

17. Etsi gustus non sit sine tactu, ideóque non requirat medium externum: à tactu tamen revera distinguitur. *Conimb. dict. loc. quæst.2.Tol. quæst. 28.*

18. Organon gustûs sunt nervi linguæ, qui ab ejus medietate in quosdam velut ramos expanduntur. *Conimb. ib.*

19. Tactus est sensus externus circa qualitates tactiles.

20. Qualitates tactiles sunt calor, frigus, humiditas, siccitas, & quæ ex hisce oriuntur.

21. Organon tactûs sunt nervi, ac membranæ; omnisque nervosa ac membranacea substantia, ut musculi, ligamenta, &c. Ossa non habent tactum ob terrestem siccitatem. *Conimb.dict.l.c.11.qu.1.Tol.qu.30.*

22. Tactus non habet medium externum: medium internum probabile est esse cuticulam.

lam. *Conimb. dicto loco, Tolet. ibid. qu.* 31.

23. Tactus tantùm unus est. *Conimb. dict. loc. quæst.* 2. *Tolet. qu.* 32. Contrà *Scalig.*

DISPUT. XXII.

De sensu interno, eiúsque affectionibus.

THESIS I.

PRæter sensum externum, requiritur in animali sensus internus, qui externorum suum functiones, & obiecta, etiam absentia, percipiat.

2. Sensus internus residet in cerebro. *Conimb. l.* 3. *de anima, c.* 2. *qu.* 2. *Tol. ib. qu.* 5.

3. Sensus internus tantùm una facultas est. Contrà *Conimb. dict. lib. cap.* 3. *qu.* 1. & *Tolet. quæst.* 6.

4. Sed quæ varias edit operationes, ob quas variis nominibus appellatur, *sensus communis, phantasia, æstimativa*, sive *cogitativa, memoria.*

5. Sensus communis appellatur, quatenus species ab externis sensibus oblatas (vulgò species sensatæ vocantur) eorúmque functiones percipit, ac dignoscit.

6. Phantasia, quatenus species sensatas variis modis componit ac dividit.

7. Æstimatiua (in homine cogitativa) quatenus ex speciebus sensatis elicit species non sensatas.

8. Memoria, quatenus species sensatas, & non sensatas conservat.

9. Internus sensus non ratiocinatur, ne quidem in homine, nisi concurrente intellectu. *Tol. dict. loc. quæst.* 7. Contrà *Conimb. lib.* 3. *de anima. cap.* 2. *qu.* 2.

10. Sensûs interni operationes credibile est in distinctis cerebri ventriculis exerceri: ut dici possit, sensum communem in anteriore; phantasiam cum æstimativa, in media; memoriam, in posteriore parte, quæ cerebellum vocatur residere. *Conimb. dict. loc. qu.* 1. *Tolet. qu.* 6.

11. Sensuum affectiones sunt, vigilia, somnus & somnia.

12. Vigilia est non impeditum omnium sensuum externorum exercitium, animâ spiritus animales ad organa sensuum immittente.

13. Somnus est cessatio externorum sensuum ab operationibus, vaporibus nervos & meatus sensorios opplentibus, & spirituum animalium influxum impedientibus. *Conimb. de somno & vig. cap.* 2.

14. Cum discussis, vel à calore cerebri, vel ab externa causa, vaporibus, meatus sensorii, per quos spiritus animales transmeant, aperiuntur, animal expergiscitur. *Conimb. ibid. cap.* 6. 15. Somni-

15. Somnium est apparitio, quæ fit in iis qui somno sopiti sunt, ex regressu specierum à phantasia compositarum, aut divisarum, ex memoria ad sensum communem.

16. Somnia vel à supernaturali causâ, putà Deo aut Dæmone immittuntur; vel ex affectione corporis oriuntur; vel denique sequuntur studia quotidiana: illa dici solent supernaturalia; ista, naturalia; hæc, animalia. *Conimb. de somniis.*

DISPUT.

De Appetitu sensitivo & locomotivâ.

THESIS.

SIc de sensu; sequitur appetitus sensitivus; qui tam necessariò cum sensu conjungitur, ut inutilis sit sensus, si sit sine appetitu.

2. Appetitus sensitivus est facultas animalis, quâ, quod sibi adversum aut conveniens sensus judicat, refugit, aut prosequitur. *Conimb. l. 3. de anima, c. 13. qu. 1. Tol. ib. qu. 26.*

3. Appetitus sensitivus versatur solummodò circa bonum jucundum, & utile, & malum utrique oppositum: bonum honestum, & turpe quod illi opponitur, non spectat ad appetitum sensitivum.

4. Appetitus sensitivus est potentia materialis; ideoque per se expers rationis ac libertatis; ita tamen, ut in homine ratione possit dirigi.

5. Appetitus sensitivus in corde residet. Cor enim afficitur appetitu sensitivo vehementiùs moto.

6. Appetitus sensitivus dividitur in ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμικὸν, hoc est, in concupiscentem, & irascentem.

7. Appetitus concupiscens dicitur, qui versatur circa obiectum absolutè simpliciterque spectatum.

8. Concupiscens, qui versatur, circa bonum aut malum difficile. Contrà *Piccol. Phil. mor. grad.* 1. *c.* 11. *et seq.*

9. Appetitus sensitivi propriæ affectiones, sunt affectus sive perturbationes, (*Græcè* πάθη dicuntur.) Affectus ergò non sunt opiniones (ut voluerunt Stoïci) sed ex opinione ferè nascuntur.

10. Affectus est motus appetitûs sensitivi, cum non-naturali mutatione cordis, ab obiecto convenienti aut adverso à sensu proposito, ad illud consequendum, hoc fugiendum. *Piccol. ibid. cap.* 5.

11. Affectus præcipui sunt undecim: sex in appetitu concupiscente; nimirum amor, odium, desiderium, fuga, lætitia, & tristitia: in appetitu irascente quinque; nempe spes, metus,

metus, audacia, desperatio, & ira.

12. Stoïci referunt omnes affectus ad quatuor genera: quorum duo versantur circa obiectum bonum, & duo circa malum. Circa obiectum bonum, si præsens sit, versatur lætitia; si sit futurum, desiderium: circa malum præsens, versatur tristitia; circa futurum, fuga. Horum duo fontes sunt, amor & odium. *Vid. cap. 1, Idea Phil. mor.*

13. Cum appetitu sensitivo ferè coniuncta est loco-motiva, hoc est, facultas quâ animal ad imperium appetitûs sese movet ad consequendum obiectum distans, aut fugiendum imminens.

14. Hæc facultas residet in singulis membrorum musculis. *Conimb. lib. 3. de anima cap. 13. quæst. 5. Tolet. ibid. quæst. 25.*

15. Ad motum localem concurrit, sensus, (in homine etiam ratio) ut principium dirigens; appetitus, ut principium imperans; vis loco motiva, ut principium exequens.

16. Quia quædam animalia solo tactu vigent, & obiecta distantia non percipiunt sequitur, vim loco motivam iis non inesse, quia inesset frustrà.

DISPUT. XXIV.

De Animæ intellectivæ essentiâ & origine.

THESIS I.

SIc de anima sensitiva, sequitur intellectiva, sive rationalis. Cujus considerandæ est essentia, & proprietas.

2. Anima intellectiva non est forma quædam assistens in homine, quæ corpore utitur tanquam instrumento; sed ipsa hominis forma informans, per quam nimirum homo est homo, & à brutis distinguitur. *Con. l. 1. de animâ c. 1. qu. 6. Tol. ib. qu. 2. Zab. de mente hum. c. 6.*

3. Hinc sequitur animam intellectivam non esse in aliqua hominis parte, puta corde aut cerebro; sed in toto corpore, & per totum corpus diffusam, non solùm quoad facultates, sed etiam quoad essentiam. *Conimb. dict. loc. qu. 9. Tol ibid. qu. 4.*

4. Anima intellectiva non est una in omnibus hominibus, sed singulæ sunt animæ in singulis: multiplicantur enim formæ ad numerum individuorum. *Conimb. dict. loc. qu. 7. Tol. ibid. qu. 2. Zab. dict. lib. cap. 11.*

5. Præter animam informantem, non est fingenda alia quædam anima assistens, quæ

una

una fit in omnibus hominibus. *Conimb. & Tol. dictis locis.*

6. Anima intellectiva est forma immaterialis, hoc est, forma talis, quæ per se, ac sine concursu materiæ possit subsistere. *Conimb. dict. loc. qu. 2.*

7. Animæ intellectivæ non sunt ex traduce: hoc est, non producuntur vi seminis, sive, quod idem est, non educuntur ex potentia materiæ, sed immediatè à Deo creantur. *Conimbric. dict. loc. quæst. 3. Tol. ibid. qu. 17.*

8. Creantur animæ eo momento quo corpori infunduntur, eíq; essentialiter uniuntur. Atque illud est, quòd vulgò dicitur, Deus animas creando infundit, & infundendo creat. *Tol. ibid.*

9. Infunditur autem anima, cùm embryo convenienti organorum apparatu instructus est. Interea credendum est, embryonem foveri ab insita virtute plastica, & ab anima matris, ac calore uteri, aut loci, qui pro utero est.

10. Supervacuum ergò est fingere animam vegetativam, & sensitivam, quæ animam rationalem antecedant, quæque in animam rationalem deinde mutentur, vel animâ rationali adveniente pereant. Contrà *Conimb. dict. loc. qu. 4.*

11. Anima intellectiva est indivisibilis, ideóque

ideóque tota, hoc est, indivisibili modo, in qualibet parte. *Conimb. dict. loc. qu.* 8, & 9. *Tol. ibid. qu.* 5.

12. Animam intellectivam immortalem esse, non solùm S. Scripturæ autoritate, sed etiã Philosophicis rationibus probari potest. *Conimb. de anima separata, disp. Tol. lib.* 3. *de anima qu.* 16.

13. Animæ humanæ ratione essentiæ in omnibus æquè sunt perfectæ; differunt solùm operandi modo. Quod discrimen fuit, ab inæquali perfectione temperamenti, aut à contracta agendi consuetudine. *Conimb: lib.* 2. *de anima, cap.* 1. *qu.* 5. *Tol. lib.* 3. *qu.* 18.

DISPUTATIO XXV.

De Intellectu.

THESIS I.

SIc de animæ intellectivæ essentiâ: sequuntur proprietates, intellectus, & voluntas.

2. Intellectus ex se est mera potentia in genere rerum intelligibilium, & veluti tabula rasa. *Conimb. lib.* 3. *de anima cap.* 8. *qu.* 1. *art.* 3.

3. Cognitio intellectûs derivatur à sensibus, ita ut nihil sit in intellectu, quòd non fuerit priùs in sensu.

4. Latius

4. Latius tamen patet objectum intellectûs, quàm sensûs. Nam sensus versatur tantùm circa materialia & singularia; intellectus etiam circa immaterialia & universalia.

5. Singularia priùs cognoscuntur ab intellectu, quàm universalia. Quin universalia cognosci nequeunt, nisi cognitis primùm singularibus. *Conimb. lib. 1. Phys. cap. 1. qu. 4. Tol. lib. de anima, qu. 16. Zab. de ordin. intell. cap. 4.*

6. Ex quo sequitur, intellectum formare proprios rerum singularium conceptus. *Conimb. lib. 3. de anima, cap. 8. qu. 5. Tol. ibid. qu. 26.*

7. Ex universalibus ea priùs intelliguntur, quę singularibus sunt viciniora, quia horum facilior est abstractio. *Conimb. lib. 1. Phys. cap. 1. qu. 3. Tolet. ibid. quæst. 3.* Contrà *Zab. de ord. intell. cap. 12.*

8. Ad intellectionem non sufficit, phantasmata, id est, species rerum singularium in sensu interno formatas, intellectui objicijsed requiritur præterea, ut species intelligibiles intellectu imprimantur, non solùm universalium, sed etiam singularium. *Conimb. lib. 3. de anima, cap. 5. qu. 3. & 4. Tol. ib. qu. 21. Zab. de spec. intell. cap. 5.*

9. Species intelligibiles rerum singularium imprimuntur intellectui à phantasmatibus; eò ferè modo, quo phantasmata imprimuntur sensui

sensui interno ab iis speciebus, quæ in externis sensibus formatæ sunt ab objectis.

10. Species rerum universalium ipse intellectus sibi format per abstractionem, comparatis inter se primùm singularibus.

11. Non ergò videtur necessarium, fingere intellectum agentem, cujus munus sit, non intelligere quidem, sed phantasmata illustrare; ut in iis appareant naturæ universales, & cum phantasmatibus illustratis concurrere ad species intelligibiles producendas: sive fingatur substantia, quæ sit ab anima separata, sive facultas, quæ revera diversa sit ab eo intellectu, qui species intelligibiles recipit, & per eas intelligit. Contrà *Conimb. lib. 3. de anima, cap. 5. qu. 1, 2, 5. & 6. Tol. ibid. quæst. 13. & 14. Zabar. de mente agente.*

12. Potest tamen intellectus, agens dici, quatenus receptâ specie, actu intelligit, & conceptum, sive verbum mentis in se format. *Tol. dict. lib. quæst.* 22. Nec aliud sequi videtur ex argumento. *Aristotelis lib. 3. de anima, cap.*

13. Non enim absurdum est, agens & patiens reipsâ non distingui, in actione immanente.

14. Intellectus omnia intelligit directè, seipsum indirectè, atque actu quodam reflexo; sic, ut ex objecto actiones suas, ex actionibus

nibus seipsam agnoscat. *Con. lib 3. de anima, cap. 8. qu. 7.*

14. Intellectus impressas sibi species conservat, atque hoc sensu dicitur memoria intellectualis. *Conimb. de mem. & reminisc. cap. 3. Tol. lib. 3. de anima, qu. 21.*

15. Cùm intellectus speciebus intelligibilibus consignatus, ad intelligendum iteratò sese accingit, phantasmatum concursus necessarius est ad intelligendum. Atque hoc voluit *Aristoteles*, cùm dixit, oportet intelligentem speculari phantasmata. *Lib. 3. de anima, cap. 8. Conimb. ibid. qu. 8. & Tol. qu. 21.*

16. Intellectûs operationes sunt tres: simplicium rerum apprehensio, judicium, quod consistit in compositione ac divisione, & discursus.

17. Iudicium intellectûs vel est speculativum, vel practicum: quorum illud versatur circa res, ut res sunt; hoc, circa res, ut bonæ vel malæ; ideóque vel appetendæ, vel fugiendæ sunt.

18. Intellectûs proprium est reminisci. Est autem reminiscentia, speciei obliteratæ renovatio, specierum non obliteratarum rememorationem. *Conimb. de mem. & reminisc. cap. 7.*

DISPUTATIO. XXVI

De Voluntate.

THESIS I.

SIcuti cum sensu conjungitur appetitus sensitivus, ita cum intellectu conjungitur appetitus intellectualis, qui voluntas dicitur.

2. Voluntas realiter differt ab appetitu sensitivo. *Conimb. lib. 3. de anima, cap. 13. qu. 1. Tol. ib. qu. 27.* Imò etiam ab intellectu. *Conimb. dict. lib. qu. 3.*

3. Voluntatis actiones duæ sunt, βούλησις & προαίρεσις: illa finis, hæc, mediorum est.

4. Voluntas non est potentia merè passiva, nec merè activa. Itaque non potest se ad agendum determinare, nisi moveatur ab objecto.

5. Cùm autem voluntas sit potentia cæca, nihil potest appetere, nisi quod illi ab intellectu proponatur. Hinc vulgatum illud: *Ignoti nulla cupido.*

6. Non sufficit ad movendam voluntatem, ut intellectûs objectum apprehendat: sed requiritur porrò, ut illud censeat, sitne bonum, an malum. Hæc intellectûs actio, vocatur *judicium* sive dictamen practicum.

7. Præ-

7. Practicum intellectûs judicium, vel absolutum est, vel comparatum. Absolutum dicitur, quo censentur res in se, & per se: comparatum, quo res censentur comparatæ cum aliis omnibus rebus, ac circumstantiis.

8. Hoc duplex intellectûs judicium, sequitur duplex actio voluntatis: quarum altera, quæ sequitur judicium absolutum, *velleitas*, altera quæ comparatum judicium sequitur, *volitio* appellari solet.

9. Utraque actio à prævio judicio intellectûs determinatur, non solùm quoad exercitium actûs, sed etiam quoad specificationem. Et certè si à judicio practico voluntas posset dissentire, & aliud, vel etiam contrarium appetere, ferretur in incognitum objectum, & sine ratione moveretur, & sic non esset voluntas.

10. Hæc voluntatis determinatio non evertit hominis in suis actionibus libertatem, sed stabilit.

11. Etenim libertas non est ἀδιαφορία quædam, quâ voluntas potest agere, & non agere, hoc vel illud agere, etiam positis omnibus ad agendum requisitis: sed facultas hominis faciendi quod ratio dictat.

12. Etenim voluntas fertur in finem, & quidem liberè, siquidem libertas non potest à voluntate separari: attamen à fine, quatenus cognoscitur ut finis determinatur.

13. Sunt

13. Sunt autem duo actionum genera, quæ, à voluntate proficiſcuntur, aliæ proximę, aliæ remotæ. Quarum illæ *elicitæ*, hæ *imperatæ* vocantur. Imperatæ actiones, nihil aliud ſunt, quàm elicitarum executio.

14. Libertas hominis exercetur in actionibus imperatis: actiones elicitæ ſunt ipſum dominium, quo ſuam libertatem voluntas exercet in actiones imperatas. Ideò enim liberè ambulamus, quia volumus ambulare.

15. Pugna animi, quæ hâc voce ſolet exprimi, *Video meliora, proboq́*, *Deteriora ſequor*, non oritur ex eo, quòd voluntas ab intellectûs judicio diſcrepet; ſed ex pugna aut fluctuatione intellectûs, rem abſolutè conſideratam improbantis, eandémque cum ſuis circumſtantiis collatam approbantis; aut contrà.

FINIS.

IDEA
OECONOMICÆ
ET
POLITICÆ
DOCTRINÆ;

AUCTORE
FRANC. BURGERSDICIO.

Opus Posthumum.

OXONII,
Excudebat HEN: HALL, Impensis *Rob*: *Blagrave*. 1655.

TYPOGRAPHUS
Lectori benevolo
S. P. D.

Avcupari ſtudui, Lector Benevole, tuam gratiam, edendo Clariſſimi Viri, & eheu! quondam Academiæ noſtræ Profeſſoris digniſſimi, FRANCONIS BURGERSDICII METAPHYSICAS INSTITUTIONES *ex Autographo Autoris erutas. Eo enim applauſu iſtæ Magni Viri meditationes acceptæ ſunt, ut mihi ad ſecundas tranſeundum fuerit operas. Multi inſuper etiam in ſummi ejuſdem viri reſiduis, quæ hactenus nondam prodierunt, ingenii monumentis, induſtriam meam ſollicitarũt. Quorum honeſto petito, ut ſatisfacerem, in ea ſummo ſtudio inquiſivi, & habito*

cum

cum doctis consilio, ecce nunc OECONOMICAM & POLITICAM DOCTRINAM *do, omninò sicut Autoris ipsius manu exaratæ inter schedas ejus repertæ sunt. Quæ ideo gratiores tibi esse debent, quod reliquarum meditationum Philosophicarum Magni nostri Burgersdicii complementum sunt. De aliis non est, quod te moneam. Ipse namque facilè illarum disciplinarum dignitatem & utilitatem cognoscis, quæ ritè constituendæ ac gubernandæ domus atque civitatis rationem monstrant. Et pertinet ea cura ad publica Scholarum pulpita. Ergo studium tantum meum omnibus inserviendi tibi commendo. Quod & in posterum agam, si id gratum tibi fore cognoscam. Interea hoc labore bene utere & conatui meo fave.*

IDEA

IDEA
DOCTRINÆ OECONOMICÆ.

CAP.

De Oeconomicæ naturâ.

LIBI proposuimus Ethicam sive communem Practicæ Philosophiæ partem, qua continentur Generalia vitæ præcepta, quæ omnibus hominibus, in quolibet vitæ statu, ac conditione, servanda sunt: hic explicabitur à nobis pars Specialis, quæ ad generalia illa præcepta alia adjungit, de familiæ sive domus, & Reipub. sive civitatis rectâ administratione. Ea enim unicuique familiarium ac civium præscribit, quod illius conditioni consentaneum est, & utile ad Societatem domesticam & civilem conservandam.

II. Hæc pars dividitur in Oeconomicam & Politicam.

III. Oeconomica vox Græca est, & composita ex duabus vocibus, quarum altera domum sive familiam; altera, tribuo sive dispenso significat. Latine dixeris, disciplinam sive scientiam dispensandæ, sive gubernandæ familiæ.

IV. Politica dicitur à græcâ voce πόλις, quæ civitatem sive Rempub. significat. Itaque juxta Etymologiam, Politica nihil aliud fuerit, quam doctrina recte constituendi, ac gubernandi Rempub.

V. Objectum ergo Oeconomicæ est, domus sive familia; Politicæ, civitas sive Respublica.

VI. Familia est Societas hominum ejusdem Patris familias imperio subditorum: sicuti Respub. est Societas plurium familiarium sub eodem magistratu, iisdemque legibus degentium.

VII. Respublica enim ex familiis, tanquam ex partibus coalescit, sicuti familia ex singulis hominibus.

VIII. Hinc sequitur domesticam Societatem naturâ priorem esse Societate politicâ: Ac proinde Oeconomicam tradendam esse ante Politicam. Ut enim domus simplicior est civitate, Societasque domestica magis necessaria, quam Societas civilis: ita etiam

etiam præcepta Oeconomica priora ſunt præceptis politicis.

IX. Nam ſicuti Ethica ſe habet ad Politicam & Oeconomicam, ita ferè ſe habet Oeconomica ad Politicam. Quare ſicuti Ethica non poteſt hominem efficere beatum ſine præceptis Politicis & Oeconomicis, quamvis felicitatem deſcribit ac promittit; Ita etiam non poteſt Oeconomica conſequi propoſitam familiis felicitatem extra Societatem Politicam. Una enim familia vix, ac ne vix quidem, omnia habere poteſt, quę ſunt ad bene beateque vivendum neceſſaria.

X. Habet quidem Oeconomica bonum aliquod, tanquam finem, ad quem collineat, propoſitum: ſed hic finis nihil aliud eſt, quàm medium ad finem ulteriorem ac perfectiorem, qui eſt felicitas Reipub. Nam familia per ſe non poteſt eſſe beata, ſed tantum in Repub. bene conſtitutâ.

XI. Oeconomicæ partes duæ ſunt: Prima agit de Perſonis, ex quibus familia conſtat; altera de rebus, quæ ad conſtitutionem ac conſervationem domeſticæ Societatis ſunt neceſſariæ.

CAP. II.

De Patrefamilias.

PAterfamilias eſt caput familiæ, ejuſque nutu atque arbitrio omnia familiæ membra conjunguntur, atque reguntur; quare multo plura requiruntur in Patrefamilias, quam in reliquis domeſticis.

II. Primum ergo in Patrefamilias requiritur ut & ipſe ſit vir bonus, domeſticis ſuis virtutem diligenter commendet. A virtute enim omnia alia, quæ in familia neceſſaria ſunt, pretium habent, atq; æſtimationem.

III. Secundò, ut omnes domeſticos obſequentes ſibi habeat, atque morigeros: Ita tamen, ut hæc parendi voluntas non ex timore proficiſcatur, ſed ex benevolentia atque amore. Metus enim non eſt diuturni magiſter officii.

IV. Tertio ſingulis domeſticis præſcribere debet, quod agendum eſt. Nec præſcribere tantum, ſed & docere, quomodo quicque agendum ſit, atque inter agendum etiam dirigere: ſaltem operi adeſſe, operaſque impellere, ſuaque opera opus promovere. Ita tamen, ut ſui memor, viilibus rebus ſe non immiſceat.

V. Quarto requiritur, ut malos ac officium

um ſuum non facientes, puniat; bonos contra ac diligentes præmiis afficiat.

VI. Quinto, ut omnia domeſticis comparet, quæ eorum uſibus inſerviant, eaque prudenter diſtribuat unicuique pro ratione conditionis, ac loci, quem quilibet in familia tenet.

VII. Sexto, ut ſit diligens, induſtrius, ut laborum patiens in acquirendis opibus, quæ ad felicitatem familiæ neceſſariæ ſunt, utque iis non prodigè ſed liberaliter utatur.

VIII. Septimo, ut omnia referat in tabulas, ut ſibi acceptorum, atque expenſorum ratio, perpetuo conſtare poſſit. Quod ut commodius fiat, rationes accepti & expenſi in adverſis notentur paginis, aſcriptis etiam cauſis utriuſque, ſed præſertim expenſi.

IX. Octavo, & ultimo neceſſe eſt, ut Paterfamilias domus ſuæ regimen dirigat ad utilitatem publicam: Nunquam enim ita debet ſuæ familiæ prodeſſe, ut ea res conjuncta ſit cum damno Reip.

X. Ex quibus ſequitur bonum & prudentem patremfamilias non ſolum bonum civem eſſe, ſed etiam maxime idoneum ad gubernandam Rempub.

CAP. III.

De Societate conjugali.

I. IN familia perfecta triplex est societas: prima inter maritum & uxorem; altera inter parentes & liberos; tertia, inter dominum & servos.

II. Coniugium est societas naturalis maris ac fœminæ, in humano genere ad liberorum procreationem, mutuum auxilium, & vagæ libidinis coërcitionem legitimè instituta.

III. Omnis quidem humana Societas à natura est (nam homo naturâ suâ est animal maximè sociabile, ob eamque causam ei datus est sermo, neque enim posset beatè vivere, si societati se eximeret) sed omnium naturalissima est societas conjugalis. Procedit enim à naturalissimo desiderio genus suum per posteros propagandi, & ab interitu vindicandi. Nam cum viventia propter fragilitatem materiæ, non possint æternum manere; effecit natura ut perpetuâ successione sese renovarent. Atque ob eam rem sexus discrimen à natura tributum est.

IV. Neque vero solùm ad humanæ naturæ perpetuitatem à naturâ conjugium ordinatum est, sed etiam ad felicitatem. Nam mutuo

mutuo conjugium auxilio communis labor facilius toleratur. Et liberorum procreatio effœtis, & præ senectute imbecillibus parentibus maximum adfert vitæ subsidium. Denique sexus discrimen etiam prodest ad diversas Oeconomiæ functiones, quarum quædam viris, aliæ mulieribus convenientiores sunt. Et, ut cætera prætream, muliebris sexus impotentius amat ut potentius educat; sexus masculinus amat judicioſius, ut instituat dexterius.

V. Quamvis autem à naturâ sit conjugium; modus tamen conjugii certis legibus à politiore cultu petitis, circumscribendus est, ne sit vagus, ac belluarum more promiscuus concubitus.

VI. Leges conjugis vel communes sunt utrique sexui, vel unicuique peculiares. Leges communes ex multis hæ sunt.

VII. Primò, conjugium non debet iniri, nisi inter duos, marem & fœminam, eosque non adeo arcto sanguinis aut affinitatis vinculo conjunctos. Itaque & poligamia, & conjunctio parentum ac liberorum, aut fratrum & sororum, fugienda est.

VIII. Secundo, conjugium sit castum atque inviolatum. Itaque uterque conjugium non modo adulterium vitare debet, quo nihil conjugibus est intolerabilius, sed etiam justam adulterii suspicionem. Fides autem

conjugum debet esse tanta, ut, non nisi ob atrociſſima ſcelera, in animum inducant divortium facere; ſed mori potius, quam ut alter ab altero diſcedat.

IX. Tertio conjugium ſit concors & tranquillum. Ad ſtabiliendam concordiam admodum utile ac pene neceſſarium eſt; primo, ut omnia inter conjuges ſint communia; ſecundo, ut ſint pares ætate, conditione, & opibus; tertio, ut maritus uxoris, & uxor mariti conſanguineos perinde ac ſuos amet.

X. Leges ſpeciales vel in marito ſpectandæ, vel in uxore. In marito; primò, qualis ſit ducenda uxor: ſecundò, quomodo regenda. In elegenda uxore major pietatis ac probitatis, quam formæ & dotis habenda ratio eſt.

XI. In uxore regenda maritus ſe dominum quidem eſſe meminerit; ſed etiam uxorem ſibi ſociam eſſe cogitet. Itaque regimen domeſticum eſt ſimile regimini Politico, in quo maritus eſt, ut magiſtratus ſupremus, uxor, ut magiſtratus ſubordinatus. Proinde potius prudenti perſuaſione lenique admonitione, quam vel verborum acrimoniâ vel affectuum ſævitiâ uxorem in officio contineat.

XII. Vxor verò Maritum tanquam ſuperiorem & prudentiorem ſuſpicere, atque ad

ad ejus voluntatem & mores, quantum per pietatem & probitatem licet, se componere debet. Itaque mariti virtutes magni æstimabit, easque sibi tanquam legem propositas judicabit, atque hoc ipsum affectuum modestiâ & verborum gratiâ palam contestabitur.

CAP. IV.

De Societate Paternâ.

EX Societate conjugali Societas paterna tanquam fructus enascitur, qui tanquam pignus aliquo parentes ad mutuum amorem obligat, unde hujus societatis post conjugalem maxima cura est habenda.

II. Consistit, verò paterna societas inter parentes & liberos, ideoque tum parentum erga liberos, tum liberorum erga parentes officia considerandæ sunt.

III. Parentes naturali quodam instinctu liberis suis benè volunt, atque officiorum suorum molestias libentes subeunt ex φιλαυτία seu amore quo se ipsos prosequuntur, qui non in ipsorum personis terminatur, sed etiam ad ipsorum effectus & opera, quo vel maximè liberi, utpote parentum substantiæ participes, pertinent, extenditur.

IV. Sunt autem parentum generalia officia tria, nempe debitè liberos procreare, deinde eosdem educare, tandem eos ad honestum vitæ genus applicare.

V. In generatione liberorum parentibus prospiciendum est, ut liberos sanos & firmos, quantum in ipsis est, procreent. Hoc autem fiet si fœcunda beneq; matura & salubria semina ab utroque parente suppeditentur, & concepta à matre diætæ erroribus non permutentur.

VI. Educatio liberorum enutritionem ipsorum, informationem & castigationem complectitur, & pro ætatum diversitate variat. Enutritio rursus, non solum alimenta continet, sed amictum etiam, & reliqua ad diætam necessaria.

VII. In genere enutritio hanc habet legem quod debeat ætati & constitutioni corporis liberorum esse accomoda & ad sanitatem & ad robur ipsorum conferens: quæ ipsa in sequentes speciales leges resolvitur.

VIII. Primò: si fieri ullâ ratione potest per matris constitutionem, materno lacte primum infantes enutriendi sunt: sin minus de nutrice castâ, benè moratâ, sanâ & quæ non diu peperevit, nec uterum gerat, ipsis est prospiciendum: ne alioquin infantes animi corporisque morbos imbibant, parentes

ies verò magnâ moleſtiâ afficiantur.

IX. Secundò: Dum adoleſcit infans, ut maternum lac ipſi alendo non ſit ſufficiens, lacticiniis aliiſque levibus juſculis, cibiſque concoctu facilibus aſſuefieri poteſt, abſtinendum verò eſt à ſolidiore & craſſiore cibo, & omnibus, quæ exceſſum qualitatum in ſe continent, ut ſunt vinum, aromata, &c.

X. Tertiò: Poſt ablactationem paulatim ſolidiore etiam cibo liberi enutriri debent, dum firmi evadant, atque apti ad tolerandum victum, quo utitur familia: tamen proſpiciendum ne ingluvie, in quas creſcens ætas propendet, morbos graves ſibi accerſant, atque ideò potius ſæpius & parcè, quàm ſemel nimium cibandi ſunt.

XI. Quartò: Dum tenera & ductilia ſunt membra, faſciis aliiſque ligaturis debitè tractari debent, ne contorta aut alio modo deformia evadant, aut corrigantur, ſi quæ non debitam figuram obtineant.

XII. Quintò: Aëris & cœli injuriis ita aſſuefacere liberos convenit, ut & firmiores evadant, iiſque tolerandis ſufficientes; & tamen ab earum inclementiâ in tenerâ ætate nullam noxam capiant. Itaque amictus quoque huic uſui erit congruus.

XIII. Informatio liberorum debet eſſe liberalis, & conſentiens cum ætate & futuro

vitæ

vitæ genere: eſtque tum privata, tum publica, & reſpicit tùm animum, tùm corpus.

XIV. Et parentibus & publicis Magiſtris, qui informationi præſunt, id curæ eſſe debet, ut non minus vitæ innocentiâ, quam præceptis inſtruant, ne vitę turpitudine magis noceant, quàm præceptis proficiant.

XV. Animus ante omnia ad veram pietatem & probitatem inſtituendus eſt, deinde imbuendus quoque iis artibus, quæ in poſterum uſui eſſe poſſunt. Itaque 1. Legere & ſcribere liberi doceantur. 2. Eas linguas quibus carere commode non poterant. 3. Eas diſciplinas, quæ viam ſternunt ad ipſorum vitæ genus. 4. Maximè omnium ſummâ fide doceantur artem illam, quam in juſtâ ætate exercere debent. Pro ætatis varietate hoc obſervandum eſt, ut pietatis & probitatis ſemina à primâ infantiâ inſtillentur, ſed vix ante quintum aut ſeptimum annum ad ſeria adigantur.

XVI. Ad corpus pertinet idoneum exercitium. Idque tale, quod faciat ad incrementum & robur corpori conciliandum, animo autem non noceat. Proinde exercitium iſtud ſit honeſtum & liberale: deinde non nimis laboriosum vel etiam lentum: denique tanquam præludium quoddam eorum, quæ in teneriâ ætate gerenda ſunt.

XVII.

XVII. Quæcunque autem institutio suam habeat intermissionem & relaxationem, qua liberorum voluntati aliquid indulgendum est, prospiciendum tamen ne illa remissio aliquid inquinamenti teneris animis afferat. Ideoque prohibendi sunt conversatione cum illiberalibus spurcisque hominibus & vitiis deditis: lusus quoque liberales & honesti tantum concedantur.

XVIII. Institutio maximè accurata & diligens masculino sexui convenit, laxior fœmineo, utrique tamen fidelis & sufficiens. Nam masculini sexus virtus præstantior & difficilior est, utpote imperans: sequioris verò inferior & facilior, utpote obediens.

XIX. Castigatio liberorum debet esse liberalis, moderata, & solis parentibus concessa, aut qui loco illorum sunt. Ideoq; talis sit, ut potius odio turpitudinis vitiorum & dignitatis virtutum amore ob oculos posito, laude bonæ spei, & propositis præmiis, bonisque verbis, quam verberibus & nimiâ affectuum & verborum severitate à vitiis retrahantur.

XX. Ultimum parentum officium est liberos ad conveniens vitæ genus applicare; quod fit si liberis ad perfectam ætatem progressis de profuturo conjugio prospiciant, & ea subministrent, quæ necessaria sunt ad domesticæ societatis novæ constitutionē.

Quod

Quod ubi parentes præstiterunt, ultimum complementum muneri suo addidisse judicandi sunt.

XXI. Liberorum officium erga parentes in his consistit. 1. Parentes amare & revereri debent. 2. Eosdem juvare, & si necessum fuerit, etiam sustentare. Neque enim parentum beneficiis, par gratia, neque ipsorum dignitati par reverentia, præstari potest.

CAP. V.

De Societate Herili.

VLtima Societas in perfectâ domo est herilis: in qua oportet considerare, quid dominus & servus sit, deinde unde hæc Societas originem habeat, denique quæ sint istius Societatis personarum officia.

II. Dominus est persona sui juris, à cujus directione alius pendet. Servus contra est persona alieni juris, qui ab alterius directione pendet.

III. Hæc Societas originem habet tùm à naturâ, tùm à lege, tum à contractu. A naturâ quidem inchoativè: quatenus aliqui ingenio præstanti & ad imperandum apto, corpore vero debili & ad laborandum inhabili: aliqui ingenio obtuso & ad obediendum

dum prono; simul corpore robusto, & ad labores sustinendos habili nascuntur, quorum illis utile est imperare, his servire, ut nempe utrisque de necessariis prospiciatur.

IV. Ex lege oritur servitus, quando capti in bello aut qui flagitiosis factis, aut sponta, neâ venditione, postquam ad discretionis annos pervenerunt, jus libertatis perdiderunt, ad servilia munera publica vel privata adiguntur, qualis servitus tamen inter Christianos ferè sublata est.

V. Ex contractu servus vocatur, cum aliquis liber alterius imperio se subjicit pro certâ mercede, vel compensatione in perpetuum, aut ad certum tempus.

VI. Hæc servitus ferè sola inter Christianos obtinet, estque omnium justissima, quoniam cum ea optimè stare potest naturalis omnium hominum libertas.

VII. Quæ de servo dicta sunt & dicentur, per analogiam ad servas seu ancillas, & quæ de hero, ad heram seu matremfamilias applicanda sunt, namque & illa Magistratûs sed quasi subordinati vice in domo fungitur.

VIII. Officia Dominorum respectu servorum alia respiciunt electionem, alia gubernationem & tractationem servorum, quo spectat consideratio eorum quæ servis debentur.

IX. Maximè

IX. Maximè convenit domi natos & educatos pueros in servos eligere, aut alibi natos educandos curare in ædibus, quo facilius, ac melius domesticis institutis assuescant: verum, si id fieri non potest, eligendi sunt adulti, sed qui sint quàm pauciſſimis vitiis obnoxii: inprimis non sunt adhibendi, qui aut valde audaces sint, aut valde timidi. Audacia enim contumaces reddit ac refractarios; timor, ignavos, aut desperabundos. Timeant ergo servi dominum, sed ament etiam.

X. Servis debetur alimentum, institutio, opus & castigatio. Alimenti nomine intelligitur cibus, potus, vestitus & merces.

XI. Cibus & potus benignè servis præbendus: & quantum satis est ad satietatem & ad robur. Vinum, aut deliciæ rarò illis concedi debent.

XII. Vestitus sit servis ad necessitatem, non ad ornatum: nisi quando ad dominorum splendorem pertinet, etiam servos ornatè vestiri.

XIII. Merces servis fideliter solvatur, idque ex pacto. Nulla enim major iniquitas, quàm non tribuere mercedem operantibus. Et Deus præscribit rationem solvendæ mercedis admodum sollicitè, non permittens cuiquam, ut cubitum eat, si merces servis non sit persoluta.

XIV.

XIV. Quin etiam si servi ægrotant, humaniter curandi sunt, atque ut homines heris suis utiles: & si moriantur, honestè sepeliendi sunt.

XV. Servos esse instituendos, tum privata, tum publica utilitas postulat. Institutio debet esse accommodata ad cujusque indolem: hi enim ad liberaliora, alii ad minus liberalia munera præparandi sunt, vel ab ipsis dominis, vel ab iis, quibus domini eam rem committunt.

XVI. Neque vero in disciplinis solum aut artibus, quę servos decent, sed & in virtutibus, & moderatione affectuum instituendi sunt. Virtutes, quibus servi à teneris assuefaciendi sunt, præcipuæ sunt: obsequium, diligentia, fides, & taciturnitas.

XVII. Opera & labores servis designanda sunt, ne torpescant otio, & ignavi fiant. Opera autem servis præscribenda sunt ad dimensum, & ad tempus: eisque concedendum, ut penso absoluto otientur, nisi eorum officia talia sint, ut ad dimensum præscribi non possint.

XVIII. Postremo etiam castigandi sunt servi, nec ex impunitate sequatur contemtus. Castigatio servorum ad solos heros pertinet, aut ad eos, quibus hanc provinciam demandârint. Et licet castigatio servorum debeat esse severior, quàm liberorum;

est

est tamen hic servandus humanitati conveniens modus. Nam illa veterum Ethnicorum crudelitas in servos contraria naturæ est.

XIX. Ut autem castigatio debet respondere delictis, ita etiam victus, amictus, labor, quies, merces, & id genus alia variari debent, pro diversa industria & indole servorum; quin etiam merces subinde augenda est corollario, ut serviant tanto diligentius.

XX. Qui multos habent servos, ii debent eos in duos ordines distinguere: ut alii inspectores sint ac directores, alii operarii.

XXI. Cum autem servus nihil aliud sit, quam instrumentum domini, non difficile erit servorum officia intelligere: quæ omnia ferè in hoc sunt constituta; ut Dominis pareant, omniaque, quæ illis à Dominis injunguntur (quæ quidem cum honestate non pugnant) diligenter & fideliter exequantur, inque omnibus suis actionibus respiciant commodum & honorem dominorum.

CAP.

CAP. VI.

De Familia imperfecta.

ATque hæc triplex ſocietas perfectam familiam conſtituit. Quod ſi alia quædam ſocietas in domo recipiatur, ut quæ intercedit inter hoſpitem, & peregrinos, qui hoſpitio excipiuntur, ea non pertinet ad conſtitutionem familiæ.

II. Debet tamen Paterfamilias non aſpernari hoſpitalitatem: Hæc enim virtus, pars liberalitatis eſt.

III. Ut autem perfecta familia ex triplici ſocietate conſtat; ita etiam mutila eſt, in qua una aut plures ſocietates deſiderantur.

IV. Omnium tamen maxime mutila eſt in qua deeſt Paterfamilias. Atque hinc maxima oriuntur incommoda in familia, & quædam quaſi anarchia. Difficulter enim vidua eam obtinere poteſt autoritatem, ut omnia familiæ membra detineat in officio.

V. Hiſce tamen malis utcunque itur obviam, ſi filius familias ea ſit ætate, ut familiæ regimen ſuſcipere poſſit.

VI. Secunda familiæ imperfectio eſt, ubi vidua imperat; hic enim non magna ratio haberi poteſt infantium, aut liberorum non adultorum, qui patrifamilias relicti ſunt,

sunt, nec earum rerum, quæ ad internum domus regimen petinet.

VII. Tertia imperfectio est in familia sterili. Nam liberi conjugalis amoris pignora sunt, hæredes domesticæ possessionis & maximum senectutis solatium.

VIII. Quarta imperfectio est in ea familia, in qua præ paupertate, desiderantur servi, ubi quisque sibi pro servo est, vel jumento utitur pro servo.

IX. Quinta & maxima imperfectio familiæ est, cum cælibes domum instruunt, omniaque munera domestica aut ipsi exequuntur per se, aut ad eam rem utuntur servorum, aut ancillarum ministerio.

CAP. VII.

De Variis Generibus possessionum.

EGimus de personis, quæ familiam constituunt, deque earum Societate: sequitur, ut de rebus agamus, quæ vel ad degendum simpliciter, vel ad commode degendum in domestica societate sunt necessariæ, quę omnes possessionis nomine intelliguntur.

II. Atque hic tria considerandа sunt: Primò quot sint possessionum genera: secundò, qui modi acquirendi possessiones: tertiò, quis

quis ſit modus utendi poſſeſſionibus in re domeſtica.

III. Poſſeſſio vel eſt animata, vel inanimis. Animata, vel ſervus, vel pecus. Et ſervus quidem inter poſſeſſiones numeratur, quia eſt præſtantiſſimum domini inſtrumentum, à quo reliqua inſtrumenta, omniſque domeſticæ ſuppellectilis apparatus regitur.

IV. Inter pecudes, quæ ſpecies poſſeſſionem domeſticorum conſtituunt, primum locum tenent, armenta, ut equi, boves, &c. Secundum greges, ut oves, hædi, &c. Tertium, aves, ut anſeres, gallinæ, columbæ, &c. Quartum canes & feles, aut ſiquid præterea animalium eſt.

V. Poſſeſſio inanimis, eſt vel naturalis, vel artificialis. Inter naturales poſſeſſiones primas tenent, Fundus, ager, vinea, hortus, piſcina, lacus, ſylva, fodina metallica, &c. Secundus, fructus qui hinc percipiuntur, ut frumentum, legumina, prunum, poma, piſces, ligna, fœnum, ſtramen, &c.

VI. Inter poſſeſſiones artificiales primum locum tenet domus, quæ, quantum, fieri poteſt, debet eſſe ſalubris, jucunda, & commoda ad reliquas facultates & functiones domeſticas. Secundum locum tenent varia ſuppellectilis genera, quæ vel ad neceſſitatem faciunt, vel ad commoditatem,

vel

vel ad ſplendorem; ut veſtes, lecti, picturæ, &c. Tertio loco ſunt inſtrumenta tum culinaria, tum operaria. Quarto loco, Arma, medicamenta, libri. Quinto pecunia.

CAP. VIII.

De Acquirenda poſſeſſione.

REm familiarem, poſſeſſioneſque domeſticas augere, non ſolum licet, ſed etiam neceſſarium eſt, modo id fiat honeſtis artibus, nec quiſpiam bonus paterfamilias eſſe poteſt, qui hanc curam negligit.

II. Oportet igitur patrem familias non modo gnarum eſſe earum rerum; quæ acquirendæ ſunt, & ſcire quomodo quicque ſit acquirendum; ſed etiam laborioſum ac frugalem; ac denique iuſtum, ita ut huius virtutis beneficio, nemini noceat, ſibique non conflet aliquam turpitudinem.

III. Triplex modus eſt poſſeſſiones legitimè acquirendi, unus naturalis, alter arbitrialis, tertius neuter.

IV. Acquiſitio naturalis eſt, quam natura, urgente neceſſitate, ad victum acquirendum docuit. Eſtque vel agricultura, vel paſtoritia, vel venatio, vel metallica, vel lignaria, vel denique; Permutatio.

V. Agricultura eſt modus acquirendi ex terra

terra & frugibus inde naſcentibus. Hic modus naturaliſſimus eſt, juſtiſſimus & utiliſſimus: corporis quippe robur auget, eaque præparat ad virtutem bellicam.

VI. Paſtoritia eſt modus acquirendi victum ex cura & paſtura manſuetorum animalium.

VII. Venatio eſt modus acquirendi victum ex captura animalium agreſtium. Eſtque vel aucupium, vel piſcatio, vel venatio, ſtricte dicta, quæ nempe in feris inveſtigandis occupata eſt.

VIII. Metallica ſive ars metallaris eſt, cum metalla; aurum, argentum, æs, ferrum & id genus alia, in noſtros uſus effodiuntur. Hic etiam revocandæ ſunt latomiæ, &c. Artes quæ circa metalla operantur, ex iiſque aliquid conficiunt, ut artes fabriles, quæque ea perficiunt, ut Alchymia, pertinent ad modos artificiales.

IX. Lignaria acquiſitio eſt ex ſylvis cæduis.

X. Permutatio eſt, cum neceſſaria ad rem domeſticam acquirimus; ea lege, ut aliis, pro iis, demus, quibus ipſi egent.

XI. Ex omnibus hiſce modis, tres priores pertinent ad alimenta; ſequentes, ad ea, quæ utilia ſunt ad alimenta comparanda. Ideoque hi, paulo minus naturales ſunt, quam priores. Longiuſcule à natura recedere videtur

Permutatio.

Permutatio. Veruntatem, quia natura aliis plura dedit, quam opus est, aliis pauciora, & non omnibus, & ubique eadem; videtur voluisse ut defectus permutatione suppleretur.

XII. Sic de naturali acquisitione; sequitur artificialis. Acquisitio artificialis est, quæ ad arbitrium & industriam hominum proprius accedit, quam ad naturæ providentiam.

XIII. Atque hæc vel privata est, vel publica. Acquisitio privata dicitur, qua aliquid acquiritur ex privatis rebus. Estque vel mercatura, vel nummularia, vel operaria, vel cauponaria.

XIV. Mercatura est modus acquirendi per emptionem & venditionem. Ejus instrumentum & mensura est nummus. Et in eo à permutatione differt, quæ sine nummo fit.

XV. Mercatura atque adeo nummus inventus est ad compendium permutationis. Nam vel locorum distantia, vel rerum varietas, vel indigentia permutationem sæpe impediunt: quæ tamen impedimenta nummi beneficio tollit mercatura.

XVI. Mercatura ergo est legitimus acquirendi modus, si adhibeatur ad supplendos naturæ defectus. At si referatur ad augendam pecuniam, sine aliquo ulteriore fine, jam naturæ contraria erit, quia progrediatur

in

in infinitum. Pecunia enim inſtrumentum permutationis eſt: at contra naturam inſtrumentorum eſt, multiplicari in infinitum, cum ſint ad certum finem deſtinata.

XVII. Mercatura triplex eſt, Naviculatoria, Oneraria, & Inſtitoria. Illa eſt, qua navi merces in longinquas regiones tranſferuntur: iſta, quæ jumentis ac vehiculis terreſtri itinere exercetur: hæc qua res eodem loco emuntur, & divenduntur.

XVIII. Mercatura alia liberalior eſt, alia ſordidior. Liberalior eſt, quæ magnis ſumptibus exercetur, quæque tractat ejuſmodi merces, quæ non inquinant corpus. Sordidior ergo fuerit, qua merces minutis menſuris divenduntur, atque eæ quidem, quibus inquinatur corpus.

XIX. Nummularia eſt, quæ ex nummo quæſtum facit. Eſtque vel fœnus, vel cambium, vel cautio.

XX. Fœnus eſt, cum pro pecunia mutuo data proque ejus uſu, aliquid creditori ſupra ſortem perſolvitur. Quod ſi pecunia ei, cui datur, nihil acquirit, neq; eo fine datur, ſed tantum ad ſuppendam vitæ neceſſitatem, videtur contra jus naturale atque divinum eſſe, uſuram exigere. Nummus enim per ſe ſterilis eſt: itaque non poteſt nummum gignere. Si autem pecunia non ſupplet vitæ neceſſitatē ſed inſervit ad lucrum

quissimum est, & naturæ consentaneum, ut pars lucri, quanta à magistratu publicè conceditur, veniat ad creditorem: Quia id non solum gratitudinis est, sed & justitiæ. Nam si ex domus aut prædii locatione, lucrum ferre licet, quidni ex pecunia? Certè Deus fratri quidem fœnerare pecuniam ad usuram vetat; alieno permittit. Deut. 20. v. 19.

XXI. Cambium est species nummulariæ quæ lucrum facit ex permutatione nummorum, vel ex eorum trajectione in alia loca; ad cujus rei compendium inventæ sunt tesseræ collybisticæ, quibus pecuniæ trajiciuntur sine periculo, detracto collybo.

XXII. Cautionem voco, quum quis accepta certa pecuniæ summa, spondet se damnum præstiturum mercium, quæ ad longinquas regiones mittuntur, si forte naufragio pereant, aut à piratis capiantur. Belgæ hoc genus nummulariæ Gallico vocabulo vocant *Asseureren*.

XXIII. Operari est, quę operam pro mercede locat: estque vel Artificum, vel mercenariorum: quorum illi artes Mechanicas exercent; ut, fabri, textores, &c. hi operam impendunt artis expertem, ut bajuli, &c.

XXIV. Cauponaria est quæ victum quærit ex advenis hospitio excipiendis.

XXV. Atque hic sunt modi acquirendæ possessionis ex privatis rebus. Ex publico acquirunt

quirunt, qui operam suam publico locant, vel in bello, ut milites; vel in pace: sique vel ut Reip. inserviant; ut, consiliarii, quæstores; vel scholis, ut professores; vel ecclesiæ, ut ecclesiastæ.

XXVI. Supereſt tertius quidam acquirendi modus, qui neque naturalis eſt, neque artificialis. Huc pertinet hæreditas, donatio, inventio thesauri: item certamen de rebus dubiis depoſito pignore; Ac denique luſus.

CAP. IX.

De Uſu Poſſeſſionis.

ACtum eſt de poſſeſſione acquirenda: superest, ut agamus de ratione rebus acquiſitis in administratione rei familiaris, ad vitæ quotidianæ uſum, recte utendi.

II. Rebus quæſitis utendum eſt, primò ad neceſſitatem, secundò, ad delectationem, tertiò ad ſplendorem.

III. Caveat interim Paterfamilias ne impenſæ majores ſint, quàm reditus.

IV. Videat etiam in ſumtibus, quid decidi ac minui poſſit, ſine incommodo rei domeſticæ.

V. Quintò, det operam, ut, quantum fieri poteſt, prædia, reliquaque poſſeſſionum genera, ſint fructuoſiſſima.

VI. Facultates ita sint distributæ, ut non facile simul omnes perire possint. Inprimis autem committendum non est mercatoribus, ut omnes facultates eodem tempore impendant in unum genus mercium.

VII. Cura administratio domestica inter meritum & uxorem partita sit: maritoque absente, tota uxori incumbat. Ac domus nullo unquam tempore sine custode relinquenda est.

VIII. Dominus operis servorum ipse præsit, si fieri potest; & primus lecto surgat, ultimus cubitum eat. si istud fieri non possit, ea res procuratori alicui committatur.

IX. Cibaria recte serventur, ne corrumpantur, & apte præparentur ac coquantur.

X. Domus conservetur sarta tecta, suppellex & vestimenta nitida, ne situm contrahant. Instrumenta suis quæque locis reponantur, & quæ rarioris usus sunt, seorsim ponantur.

XI. Dominus certo tempore suppellectilem & instrumenta domestica lustret, ut sciat quid corruptum sit, aut plane perierit.

XII. Duo modi sunt administrandæ familiæ. Primus est, cum paterfamilias quotannis omnes reditus suos vendit, & ex pecunia conflata, aliunde emit, quæ necessaria sunt ad vitam. Alter, cum tantum vendit superflua, necessaria sibi servans, ad usum domesticum.

XIII.

XIII. Hic posterior modus præstantior est. Prior non convenit, nisi pauperibus: ditioribus non est sequendus, nisi cum accurate subducere volunt, summam annuorum redituum.

XIV. Atque hæc omnia œconomiæ præcepta, quæ hactenus tradidimus, pruden. ter accomodanda ad cujusque conditionem. Alia enim debet esse œconomia Regis, alia Principis, alia Comitis, alia Baronis, alia Nobilis, alia Mercatorum; alia Magistratus, alia subditorum: Alia in Germania, alia in Gallia, alia in Polonia, &c.

Finis Oeconomicæ.

DOCTRINÆ POLITICÆ

CAP. I.

De Repub. in genere.

POlitica est doctrina (ut ante dictum fuit) Remp. recte constituendi ac gubernandi. Hæc enim duo ita sunt conjuncta, ut separari nequeant. Etsi enim Respub. non semper sit constituenda: nemo tamen censeri debet Remp. posse gubernare, nisi qui eam possit constituere.

II. Respublica est societas plurium familiarum sub eodem magistratu, iisdemque legibus degentium. Vel sic, Est familiarum rerumque inter illas communium summa potestate, ac ratione moderata multitudo.

III. Hinc sequitur, Rempubl. non posse consistere in una familia, quamvis sit numerosissima, imo ne in duabus quidem, sed in tribus minimum, quia ad collegii constitutionem I Cti tres personas necessarias esse volunt.

IV. Secundò sequitur, manum aut cætum latronum

latronum non esse Remp. quia ut ex pluribus familiis possit constitui tamen non potest Respub. dici, quia recta ratione non regitur.

V. Politia sive politica societas, originem traxit à natura. Homo enim sua natura est animal politicum, quod tam ex sermone, quàm ex illius usu manifestum est.

VI. Hanc tamen naturæ propensionem excitaverunt tum egestas, tum periculum. Quia enim uni familiæ non suppetuntur omnia ad bene beateque vivendum, & ad propulsandam violentiam, injuriamve, quæ ab aliis inferri solet, plures familiæ sese conjunxerunt, & societatem iniverunt.

VII. Et ne confusio hisce finibus obesset, omnes paucorum, vel etiam unius imperio sese submiserunt, in quo prudentiam deprehendissent, & egregiam animi virtutem.

VIII. * Quare falsum est, quod nonnulli Politici docent, Imperia & Respublicas, vi primum coaluisse, & ex bello ortam esse summam imperandi potestatem. Non enim factum est ut reliqua multitudo unius imperio se submitteret, quia ille in bello se pro duce gessisset, ac causa victoriæ suis sectatoribus extitisset: sed ideo totius se uni submisit, ut illius prudentia ac fortitudine vinceret.

* *Bodinus, lib. 1. cap. 6.*

IX. Societas Politica ex tenuibus principiis orta est. Primum enim paucæ familiæ gentilitiæ vicum constituerunt. Familias gentilitias appello, quæ ab uno aliquo ortum ducentes, sanguinis conjunctione inter se devinctæ sunt. Deinde etiam familiæ peregrinæ gentilitiis sese permiscuerunt, aucto numero familiarum, pagi primum, deinde urbes constitutę sunt.

X. Ac primo quidem sola politica societas satis tuta videbatur ad arcendas externorum injurias, satisque instructas ad omnes vitæ commoditates comparandas: sed postea, crescente hominum malitia, urbes mœnibus, fossis, & vallis cæperunt cingi, ut tutiores essent, non solum contra externorum violentiam, sed etiam contra indigenarum rebellionem ac malitiam.

XI. Quin postea plures etiam urbes inita societate redactæ sunt in eandem Rem pub. idque vel pacto, vel jure belli, sive vi. Pacto; ut plures urbes societate contracta, tutiores viverent mutuo auxilio. Jure belli; quando factum est, ut urbs armis subacta, in alterius potestatem concessit.

XII. Et certè videtur rebus humanis expedire, Respub. ex pluribus civitatibus conflatas esse, cum singulæ non habeant satis præsidii, ad vitam commodè & tutò transigendam.

XIII

XIII. Finis doctrinæ Politicæ est, felicitas universæ Reipub. quę in eo sita est, ut omnes pie probeque vivant: deinde ut omnia iis, quatenus fieri potest, suppetant, quæ ad vitam commodè degendam necessaria sunt, & ad res communes, & communia jura civitatis adversus vim externam, defendenda. Ex hisce duabus rebus tranquillitas oritur & concordia civium, quod est maximū Reip. robur.

XIV. Ad publicam Reip. felicitatem pervenitur prudentia regendi, & promta, ac benevola voluntate parendi. Illud requiritur in magistratu, hoc in subditis.

XV. Et quamvis præstantius sit regere quam regi, imperare, quàm parere; falsum tamen est, quod Machiavellus docet subditos simpliciter esse propter principem, ejus municipia, in quæ potest pro libitu dominari. Quin contra magistratus sunt propter subditos. Non enim inita est societas politica à pluribus, nisi ut singulis in societate bene esset. Quod ut fiat, debet dare operam magistratus, prudenter imperando.

Cap. II.

De Monarchia, & naturalibus Monarchæ dotibus.

I. Politia sive status Reip. vel est simplex, vel mixtus. Status simplex dividitur in Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam. Monarchia est status in quo cæteri omnes unius imperio subsunt.

II. Monarchia est status simplicissimus maximeque ordinatus: ideoque natura sua firmissimus. Quin etiam hæc gubernatio facilior est, faciliusque finem suum assequitur. Attamen habita ratione humanæ imbecillitatis, non semper expedit aliis Reip. formis, monarchiam præferri. Sæpe enim subditorum indoles monarchiam ferre nequit. Tum etiam periculosum summam rei versari in uno capite.

III. In Monarcha sive principe spectanda est persona & regimen. In Persona spectanda est natura, virtus, & causa principatus. Naturæ nomine intelligo sexum, corpus, patriam, domum, ætatem, & fortunas. In quibus singulis aliquid observandũ est.

IV. Primum ergo (ut à sexu ordiar) imperium monarchicum mari potius quam fœminæ committendum est. Quia mas est domi-

dominus familiæ, & caput mulieris, ergo & Reipub. caput esse debet potius quam fœmina. 1. Quia mas ad imperium natum est, fœmina ad parendum. 3. Quia fœmineus sexus omnibus naturæ dotibus inferior est sexu masculino.

V. Interim tamen non sunt fœminæ penitus à Rep. ejusque regimine removendæ. Quia natura sæpe fœminas solertes facit; industria, educatio, probas ac pias; & experientia prudentes.

VI. Requiritur secundò in principe augusta statura, & pulchritudo: quorum illa plurimum pollet ad autoritatem, hac ad benevolentiam: omnes enim fere sic judicant, externam speciem corporis esse indicium animi.

VII. Tertiò, præstat indiginæ potius imperium delegari, quam peregrino. 1. Quia magis amabit subditos, magisq; ab iis amabitur. 2. Quia peregrinus mutationem volet moliri, Remq; publicam ad mores suos componere, quod sine periculo fieri non potest. 3. Quia hoc ignominiosum genti cuique, externum principem quærere, quasi inter eos nemo sit, qui principatum gerere possit.

VIII. Interdum tamen singulares circumstantiæ postulant, Reipublicæque necessitas, ut externus princeps advocetur, qui tum virtute incomparabili, tum potentia Rempub. labas-

labascentem possit erigere.

IX. Quartò, Princeps debet esse nobili loco natus. 1. Quia omnes judicant nobilibus inesse semina virtutum, eosque procliviores esse ad impetus heroicos. 2. Quia ipsum stemma & insignia nobilitatis & recordatio magnarum rerum à majoribus gestarum, reverentiam & autoritatem principi conciliat.

X. Quinto, Ætas principis sit matura. Itaque puero aut admodum adolescenti non est permittendum imperium. 1. Quia non potest esse prudens. 2. Quia ista ætas nimis est flexilis. 3. Quia non potest pollêre autoritate.

XI Si tamen principatus successione defertur, liberi principum defunctorum non sunt arcendi ab imperio: sed procuratores Reip. aut ephori (ut est parlamentum in Angliâ) regimen Reip. uni aut pluribus procerum committere debent, dum princeps adolescat: diligenter interim caventes, ne tutores illi regnum sibi vendicent.

XII. Etsi autem virilis ac vegeta ætas maxime sit idonea ad principatum; non tamen videtur æquum, ut princeps abdicetur imperio propter senectutem; si alioqui cætera omnia in illo conspirant, quæ in principe requiruntur: imprimis si mens sana sit. Cum autē mens vitiata est, è Republica est principem removeri, aliumque in illius locum suffici.

XIII.

XIII. Sexto denique in eligendo principe opes spectandæ sunt & potentia. Pertinet enim hoc ad Reipubl. firmamentum. Nec tantopere metuenda videtur ex potentiâ magistratus, insolentia, quam ex paupertate aut imbecillitate rapacitas ac tyrannis.

CAP. III.

De Eruditione Principis.

HÆc de naturâ principis, sive de dotibus naturæ: sequitur virtus, atque ea vel mentis, vel moris. Virtus mentis nihil aliud est, quam doctrina sive eruditio.

II. Eruditio requiritur in principe. I. Quia conducit ad prudentiam, & ad actendum judicium. Prudentia enim non facile contingit, nisi animo bene instituto atque edocto. II. Quia facit ad exactam cognitionem regionis ac gentis, cui imperandum est. III. Quia princeps debet de multis controversiis judicare, quæ sine eruditione nequeunt intelligi.

III. Interim cum eruditio longè lateque pateat, non debet princeps omnes illius partes accuratè pertractare: sed satis est, si ex singulis excerpat, quantum satis est ad usum.

IV.

IV. Primum imbuendus est princeps cognitione linguarum. Præter patriam, discere debet princeps linguam Latinam, & linguas vicinarum gentium, vel etiam fœderatarum. Lingua Latina principi debet esse cognita, quia universalis est, & pene toto orbe cognita. Ideoque poterit in principe supplere multarum peregrinarum defectum, ad legatos aliorum principum audiendos, iisque respondendum. Vt jam nihil dicam, latinam linguam conducere ad eruditionem, quam porro in principe requiri ostendemus. Vicinarum ac fœderatarum gentium linguæ cognoscendæ sunt principi, ut ipse negotiis interesse possit, quæ cum vicinis gentibus sæpe tractanda sunt.

V. Post linguas discenda est Logica, sed obiter. Rhetorica diligentius. Quia eloquentia res est in principe admodum necessaria, ad movendos atque incitandos subditorum animos. Quin & Poëtis principi tractanda est, non ut ipse versus pangat, sed ut Poëtas intelligat, imprimis Tragicos.

VI. Hinc tramitat ad Philosophiam Theoreticam: ubi Physica sese offert, & Mathematica. Nam Metaphysica principi inutilis est. Physica principi utilis est ad cognoscendam indolem regionis, & gentis, cui imperat, & ad alia multa, quæ principi ignoranda non sunt.

VII. Impri-

VII. Imprimis debet princeps accurate discere disciplinas Mathematicas: earum enim usus est longe maximus, tum in pace, tum in bello. In pace, ad Architectonicam & Mechanicam; in bello, ad omnem pene apparatum. Et quanquam princeps ad hasce res utatur ministerio aliorum; tamen, si ipse has disciplinas intelligit, magis fideliter omnia à ministris peragentur.

VIII. Philosophiam moralem princeps debet discere satis accuratè. Quî enim alios regere possit, qui artem regendi, quæ ad Philosophiam moralem pertinet, non didicerit?

IX. Philosophia moralis non tam ex præceptis quam ex historiâ haurienda est principi. Præcepta enim sunt universalium. At actiones humanæ, & prudentia politica, quâ actiones gubernandæ sunt, in singularibus consistunt, quorum judiciosam narrationem historia complectitur. Ita ut nulla penè pars doctrinæ, tam sit necessaria ac tam utilis principi, quam accurata historiarum cognitio. Confert etiam ad prudentiam peregrinatio, sed ea non est principis tuta.

X. Neque verò satis est antiquam historiam, Græcorum & Romanorum didicisse: sed etiã moderna cognoscendã. Imprimis debet ad unguem tenere historiam regni sui ac majo-

rum suorum: Ut ex consiliis & factis aliorum, colligat quid sibi sit faciendum.

XI. Postremò delibare etiam princeps Iurisprudentiam debet & S. Theologiam: quarum illa efficiet, ut ipse de controversiis civium judicare, aut saltem foro æquos judices præficere possit: hæc, ut ipse Religionis suæ rationem intelligat, veramque religionem à sequiore ex verbo Dei possit discernere, eamque inter subditos legitimè tueri ac conservare.

CAP. IV.

De Virtute Morali quæ in Principe requiritur.

VIrtus moralis in principe duplici nomine requiritur; primo, quia ipse debet esse probus quatenus homo est. Nihil enim homini convenientius est virtute morali. Deinde quia vita principis est subditis exemplar vivendi. Nec quicquam est, quod majus habet momentum ad formandos subditorum mores in utramvis partem, quam vita principis.

II. Virtus moralis debet esse vera in principe non simulata: tum, quia ipsa virtus est firmissimum Reip. fundamentum; tum quia quod simulatum est, non potest esse perpetuum.

III.

III. Primo loco in principe requiritur prudentia. Hæc enim reliquarum virtutum norma est atque moderatrix. Hujus virtutis præsidio poterit princeps omnium virtutum officia atque actiones ad dignitatem atque excellentiam suæ personæ accommodare. Nam cum virtutum actiones in mediocritate sint positæ, quæ ad varias circumstantias accomodanda est, in omnibus hominibus necessaria quidem est prudentia, sed inprimis in principe. Neque vero id solùm ad virtutes Ethicas, sed etiam ad regimen Politicum atque Oeconomicum.

IV. Prudentia medium est inter simplicitatem aut fatuitatem, & inter versutiam sive calliditatem veteratoriam. Si tamen princeps ab hac mediocritate declinet, præstat principem esse versutum & callidum, quam simplicem ac imprudentem, si versutia non sit conjuncta cum magna animi malitia.

V. Post prudentiam collocamus Pietatem: qua voce tum Religio intelligitur, quæ est Pietas erga Deum; tum amor subditorum, qui est pietas quędam erga patriam.

VI. Vt autem impietas & profanitas, aut etiam superstitio in principe sunt admodum noxiæ: ita vera religio est admodum necessaria. Qui enim se Deo subesse statuit, cui

omnium

omnium actionum reddendâ ratio est, is facile regimen justitia & æquitate temperabit.

VII. Amor patriæ ac subditorum hoc efficiet in principe, ut omnia, non ad sua solius commoda, sed ad salutem subditorum suorum velit referre; utque statuat non solum se principem esse, sed & pastorem, imo quasi parentem suorum subditorum.

VIII. Ex quo videtur consequi, invito nemini principatum deferendum esse. 1. Quia amor subditorum tantus in eo esse nequit qui invitus imperat. 2. Quia segniem administrabit Rempub. 3. Quia difficultate suborta exprobrabit subditis, se coactum ad imperium accessisse. Itaque facile evadet tyrannus.

IX. Tertium locum in principe damus justitiæ tum universali tum particulari. Justitia universalis est virtus præstandi obedientiam legibus. Quare, & princeps legibus subesse debet, aut justus esse non potest.

X. Quousque tamen Princeps legibus subsit, aut non sit, hoc loco disputari solet. Mihi certè videtur hæc quæstio non posse solvi sine distinctione. Primum igitur in lege distingui debet mandatum, & præmium, quod obedienti promittit, aut pœna, quam transgressori minatur. Itaque Lex primo obligat ad præstationem, deinde ad pœnam, si quis eam violat. Secundo leges aliæ fundâ-

fundamentales ſunt, quas principes ſe obſervaturos jurant, antequam admittuntur ad principatum; aliæ non ſunt fundamentales. His præmiſſis, dico principem non ſolum obligari ad ſervandas leges fundamentales, ſed etiam abnoxium eſſe pœnæ, at principatu excidere, ſi eas violet. Ad leges cæteras obſervandas tenetur etiam princeps, ſed non obligatur ad pœnam, ſi eas violat. Punire enim eſt actio ſupremæ poteſtatis, at princeps neminem ſe ſuperiorem in terris agnoſcit, cui hac in parte ſubſit. Deo tamen pœnam debet etiam ob harum legum violationem.

XI. Juſtitia particularis dividitur in diſtributivam & commutativam: utraque in in principe neceſſaria: ſed magis tamen illa, quia magis refertur ad utilitatem publicam.

XII. Quarto loco ponimus temperantiam & caſtitatem: quia nulla re citius quam intemperantia, luxu & libidine imperia evertuntur. Nam hæc & inimica ſunt prudentiæ, & exoſa ſubditis.

XIII. Temperantiæ adjungimus fortitudinem, ſedulitatem, vigilantiam, diligentiam: Idque vel ad cavendas ac declinandas res adverſas, ad pericula, vel ad ea propulſanda.

XIV. Convenientiſſima principi virtus eſt liberalitas & magnificentia, & aptiſſima

ad

ad conciliandam ſibi benevolentiam & auctoritatem. Imprimis laudatiſſima liberalitas publica, veluti, qua populo tributa remittuntur, pauperibus & afflictis atque exulibus proſpicitur. &c. Tum quæ confertur in viros egregie doctos, aut in excellentes artifices, vel etiam in eos qui præclaro facinore de Repub. bene meriti ſunt.

XV. Cavendum interim eſt principi ne prodigus fiat, & immodicis largitionibus ærarium publicum exhauriat, vireſque Reip. accidat, ſibique odium conflet. Sed neque ita prodigalitatem fugiat, ut avarus fiat. Nam hoc quoque vitium odioſum eſt ſubditis, & ſordidum per ſe, ideoq; indecorum principi.

XVI. Cum magnificentia conjungenda eſt magnanimitas, ad tuendam maieſtatem & impediendum ſui contemptum, qui oritur ex nimio faſtu atque etiam ex puſillanimitate. Ad magnanimitatem refertur gravitas in verbis, vultu, geſtu, veſtitu, inceſſu, atque adeo in omnibus actionibus publice conſpicuis. Quanquam videtur expedire ut princeps non nimis frequenter ſit in publico. Maieſtati enim maior ex longinquo reverentia eſt.

XVII. Cum autem magnanimus nihil maius eſſe iudicet honore, ſi princeps magnanimus ſit, infamiam etiã metuet tum in vitã, tum

tum etiam post mortem. Hinc fiet, ut diligentissimè peccata sit vitaturus, existimans principum peccata tantò majora esse, quantò major est eorum splendor atque majestas; & quamvis sint leviſſima, graviſſima videri, celerrimeque in vulgus emanare.

XVIII. Sequitur mansuetudo sive clementia, quæ maximum etiam principum ornamentum est.

XIX. Præterea requiritur in principe veracitas & fides, quam non solum servare debet subditis, sociis, ac fœderatis; sed etiam peregrinis, atque adeo hostibus. Si enim princeps datam fidem violet, nemo ei fidem habebit, nemo ejus legatos admittet, nemo denique fœdus cum illo aut pactum inire volet.

XX. Si princeps veritatem amet, adulatores aversabitur: qui, ut sunt hostes veritatis, ita principibus sunt perniciosiſſimi.

XXI. Debet princeps etiam comis esse, hoc est debet subditos facile admittere ad colloquium, patienter audire, ac benignè respondere, eorumque petitionibus satisfacere. Præsertim si non metuat insidias. Hac ratione præsidetur occasio adulatoribus aucupandi lucrum ex eo, quod aditum parent ad principem, ab eoque impetrent subditis, quod ipsi petierunt.

XXII

XXII. Denique principi concedi potest urbanitas, sed in secessu, atque eo tempore, quo vacat à publicis curis. Neque vero princeps ipse jocetur, sed aliorum jocos festivos, argutos, & honestos audiat; reliquos aspernetur. Quare vix videtur in principe probandum, ut sese morionibus oblectet, sive fatuis hominibus; Nam quos industria formavit, ii arcendi non sunt.

XXIII. Musica quoque Princeps se oblectare potest; ipse tamen neque voce canat, neque fidibus. Ludi etiam, quibus corpus exercetur, ut venationes, hastiludia, &c. principibus conveniunt si periculo careant. Sunt enim veluti progymnasmata rerum bellicarum.

CAP. V.

De Causa principatus, sive de modis perveniendi ad principatum.

MOdus, quo princeps ad principatum evehitur, constat duabus partibus; jure & inauguratione.

II. Jus principatus acquiritur sex potissimùm modis; Successione, Electione, Bello, Conjugio, Testamento, & Sorte. Ex his tamen communissimi, maximeque ordinarii

modi

modi acquirendi jus principatus, sunt Successio & Electio.

IIII. Et licet uterque modus sua habet commoda, & sua incommoda; videtur tamen successio magis quadrare absolutæ monarchiæ, quam electio. Nam primò, qui à populo eligitur, vix potest absolutum obtinere imperium, & plenum jus majestatis; cum populus principi ferè leges ponere soleat, quibus se princeps jurejurando astringat. Deinde interregnum gravissima habet incommoda, quibus successio non est obnoxia, cùm vix obitus principis censeatur ubi morienti alter succedit. Et licet eligi posse videatur optimus potius, quam nasci; nihilominus tamen contrarium sæpe evenire videmus, aut propter importunas commendationes, aut æqualium factiones, aut suffragiorum contrariat voluntates, ut non meliores eligantur principes, quàm succedant: Cum qui jure successionis sibi imperium deberi novit, summa ope niti soleat, ut avitum imperium virtute sibi stabiliat.

V. Si princeps habet plures liberos, primogenitus ex legitimo matrimonio natus cæteris fratribus præferri debet, potius quam regnum distrahatur. Sic tamen, ut is, qui in principatum patri succedit, teneatur reliquis fratribus assignare tantum reditum, unde statum suum possint cum decoro tueri.

VI. Fi-

VI. Filiæ principis, aut non sunt evehendę ad principatum, aut, si illud jam more receptum sit, non sunt præferendæ fratribus, nequidem si ætate majores sint.

VII. Si ex duobus principis filiis, alter natus sit, antequam pater principatum erat adeptus, alter postea; nihilominus tamen primogenitus præferri debet. Imo etiam nepotes ex primogenito nati, præferri debent ipsis filiis.

VIII. Consultum est, ut princeps successorem suum nominet, eumque regni vicarium declaret, quo principi defuncto ea ipsa hora succedere possit ad evitanda interregni incommoda, quibus nihil est periculosius.

IX. Electio, uti diximus, minus convenit monarchiæ absolutæ, propter conditiones & leges, quæ principi electitio præscribi possunt. Si tamen principis familia penitus extincta sit, ita ut nemo jure suo possit succedere; utilissimum est tum principem suffragiis designari, quod tamen in multis regnis ordinarium est.

X. Electio fieri debet in publicis regni comitiis, per suffragia libera & incorrupta: quo facilius suffragiorum multitudine designari possit, qui ad principatum sit aptissimus.

XI. Acquiritur principatus jure conjugali cum princeps fœminam ducit, quæ & ipsa

princeps

princeps sit, & principatum ad posteros transmittit.

XII. Testamento acquiritur, cum princeps successoribus legitimis destitutus, aliquem sibi pro arbitrio successorem testamento designat. Huc etiam revocari potest successio ex fœdere: veluti, cum duo principes mutuum fœdus pangunt. ut si alterius familia penitus exstinguatur, alterius posteri succedant in principatum, quale pactum est inter domum Saxonicam & Hassiacam.

XIII. Quod si princeps aliquis eligendus, & tamen nec ratio nec consilium adhiberi potest, vel quia regni petitores sunt pares, vel quia metuenda est alterius, qui præteritur, offensio, sorte res dirimenda videtur; sed eâ tamen, quæ non potest esse fraudibus obnoxia.

XIV. Superest ultimus modus acquirendi principatus, qui armis fit, sive bello. Hujusmodi monarchia durior est, arctiusque constringit subditos, quam quæ ordinaria via paratur.

XV. Hoc autem fit duobus modis: primò, cum princeps à principe justo bello pellitur. Secundò, cum barbaræ gentes subjugantur, quæ nullius antea imperio parebãt

XVI. Non debent barbaræ gentes subjugari libidine dominandi, ut factum est ab Alexandro Magno, sed eo cõsilio, ut homines

belluino ferè more, viventes, ad humanitatem, honestatem, pietatemque adducantur.

XVII. Atque hæc de modo, quo jus principatus sibi princeps acquirit: superest inauguratio, qua veluti in possessionem mittitur, & consensione populi confirmatur.

XVIII. Hæc inauguratio certis quibusdam partibus constat. Nam primò princeps in publico proclamatur, deinde ei traduntur regni insignia, item corona, sceptrum, vestis purpurea, &c. Tertiò ad templum deducitur, ibique peractis sacris & invocato nomine Divino, solennibus ceremoniis initiatur, & veluti in possessione principatus constituitur, populo publica acclamatione & congratulatione sua deinde principis inaugurationem approbante.

XIX. Hisce actibus acquiritur principi jus majestatis, hoc est, summa in cives ac subditos, legibusque soluta ac perpetua potestas. Atque hæc est veluti forma principis, & anima regni.

XX. Ad jus majestatis præcipue pertinent: 1. Bellum indicere & pacem inire. 2. Leges ferre & jura condere. 3. Magistratus mandare. 4. Non admittere provocationem. 5. Damnatos sententiâ judicum liberare. 6. Fidelitatem & obsequium postulare. 7. Monetam cudere.

CAP.

CAP. VI.

De Regimine Principis in genere, deque Legibus.

Atque hactenus de Persona Principis, deque causis sive modis perveniendi ad principatum: Nunc porro de Regimine, sive de cura principis agendum est.

II. De cura principis in genere tenendum est, ut sciat se publicam personam esse, utque omnia sua consilia & actiones, dirigat ad publicum bonum.

III. Quod, ut facilius consequatur, debet cognoscere subditorum ingenium. Et quia non potest cognoscere singulos, de universis debet judicare plerisque.

IV. Et quia populus est credulus, mobilis, varius, inconstans, præceps, & vehemens; res est maximæ prudentiæ, eum intra obedientiæ limites continere.

V. Ad quam rem necessarium est, ut princeps omnia ipse agat, aut saltem firmet: ut subditis persuasum sit, principem non alienis oculis, sed propriis omnia videre.

VI. Neque vero hoc satis esse debet Principi, ut Reip. bene sit quamdiu ipse vivit: sed etiam, ut post mortem suam, beata sit. Quare de rebus omnibus testamento maturè

disponat, idoneos testamenti executores constituat. Testimentum ne vulget. In testamento successorem nominet si dubius sit, & res ea sit in sua potestate. Si successor certus sit, monebit eum princeps de omnibus, quæ ad regni salutem maxime judicabit pertinere. Si non sit in sua potestate successorem designare, Proceribus aliquem commendabit, quem judicabit ad regni administrationem maximè idoneum esse.

VII. Uxori, liberis non successuris, testamento quoque prospiciat, iisque tantum assignet, quantum satis est ad vitam decorè transigendam. Quin & præmia quædam statuat fidelibus administris, eosque hortetur ad fidelitatem præstandam tum Reip. tum successori, tum etiam conjugi cæterisque liberis.

VIII. Verum quia doctrina de Regimine principis late patet, quædam capita, ordinis causa, constituemus, ad quæ omnia principis officia referemus. Primo agemus de Legibus, sive de cura principis circa leges. 2. De Principis Administris. 3. De subditorum nativitate, & educatione. 4. De gradibus ac communione civium. 5. De judicio forensi & censorio. 6. De victu & sanitate tuenda, deque sepultura, aliisque rebus ad felicitatem civium spectantibus. 7. De reditibus publicis. 8. De cura defendendæ,

fendendæ, augendæ, & exornandæ Reip. 9. De Aula Principis. 10. De peregrinis. 11. De Legatis. 12. De fœderibus. 13. De bello. 14. De causis mutationum, & vitiis principatus.

IX. Lex (ut hinc ordiar) est regula earum rerum, quæ, vel faciendæ vel omittendæ sunt, ut Respub. feliciter regatur.

X. Lex vel divina est, vel humana. Lex humana, vel est Lex naturæ, vel gentium, vel Politica vel Oeconomica.

XI. Lex Politica (ut de cæteris nihil dicam) est, quæ pertinet ad Rempub. Estque vel norma suscipiendi, vel regendi principatum. Leges suscipiendi principatus vocantur Leges fundamentales, & jura regni.

XII. Leges regendi principatus sunt, secundum quas princeps imperat subditis, & subditi principati parent. Nam licet princeps sit legibus solutus, nihilominus tamen leges debent esse norma principi secundum quam subditos regat.

XIII. In legibus spectatur sanctio, exsecutio, interpretatio & abrogatio. Atque hæc omnia ad Principem quidem jure pertinent; sed ita tamen, ut expediat viros sapientes ac justos ab illo adhiberi, quorum opera & consilio utatur in legibus condendis.

XIV. Leges debent esse æquæ, atque utiles

Reip.

Reip. tum breves & nervosæ. Non facile enim legi addenda ratio est.

XV. Executio legis est, quum princeps aut præmia dat observatoribus; aut pœnam infligit transgressoribus. Hinc omnis legis vis, atque autoritas dependet.

XVI. Cum legis sententia dubia est, principis est eam pro diversa ratione locorum, temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum, interpretari, & ad usum publicum accommodare.

XVII. Etsi princeps habeat potestatem abrogandi leges, non debet tamen, quæ semel lege constituta aut consuetudine, quæ vim legis habet, recepta sunt, temere mutare; sed tum demum, si lex manifestam iniquitatem contineat, aut Reip. perniciosa sit.

CAP. VII.

De Consiliariis, aliisque regni administris.

QUia princeps neque omnia solus constituere, neque omnibus partibus sui principatus præsens esse potest: necessariò debet adhibere administros, quorum opera utatur aut in capiendis consiliis, aut in rebus gerendis.

II. Princeps eligat ministros bonos, fideles

fideles & peritos.. Talis enim fere est principis regimen, quales sunt ministri. Non facile autem uni plura munera commendet.

III. Ministri vel sunt ad consilium (hi vocantur Consiliarii) vel ad res gerendas.

IV. Etsi autem Princeps suarum rerum sit intelligentissimus, tamen non facile aliquid aggredietur, quod magni momenti sit, nisi consultis primùm consiliariis, idque maturè, ne necessitas consilium præcipitet.

V. In consiliariis duo spectanda sunt: Primò, quales esse debeant; deinde, quomodo iis utendum sit.

VI. In eligendis consiliariis multum momenti positum est. A deo ut dubitari soleat, an tolerabilior sit regni status sub bono principe & malis consiliariis, quam contra. Et certè, si princeps non sit absolutus monarcha, sique mali appellatione non intelligatur malitiosus, versutus & pertinax, sed simplex & parum idoneus ad imperandum, tolerabilius est, principem esse malum, quam consiliarios. At si princeps sit absolutus monarcha, sique malus dicatur princeps qui malitiosus est, & versutus, res se habet contrario modo.

VII. Consiliarii 1. Sint incolæ potius quam peregrini, nisi forte eorum operâ foris utendum sit. 2. Sint senes potius, quam

juvenes: utile tamen est, juvenes consiliis interesse, si non sint secreta, non ut dicant suffragia, sed ut audiant. 3. Neque nimis tardi sint, neque nimis præcipites.

VIII. Consiliarii sint prudentes, hoc est, periti rerum politicarum, non solum in genere, sed etiam in specie. Cognoscat ingenium & mores sui principis, sitque versatus in nationibus exteris.

IX. Præterea sit pius, probus & amans Reip. sit fortis, temperans, mansuetus: non contentiosus aut arrogans. Placide ferat eorum sententias, à quibus dissentit, neque aspernetur promiscuè omnia consilia, quorum ipse non est autor. Sit præterea verax, sententiamque libere dicat, sive ea grata sit futura principi, sive non sit. Imprimis non sit adulator: denique taciturnus & fidelis.

X. Cum res rara sit bonus consiliarius, non debet Princeps temerè quenquam admittere ad hoc munus, nisi prius diligenter inquisiverit in illius naturam, indolem, ingenium & mores.

XI. Eligi possunt consiliarii ex variis hominum generibus, sed imprimis ex nobilibus & doctis. Constituat ex his princeps distinctos consiliariorum ordines, & habent alios, magis, alios minus intimos; omnes autem

jurejurando,

jurejurando sibi devinctos.

XII. Hæc de Electione: de usu consiliariorum hæc notanda sunt. Primò debet princeps ipse consultationibus interesse: idq; tum, ut altercationes impediat, tum ut animum augeat bonis ad fidelitatem; malis minuat suâ præsentiâ.

XIII. Permissum sit consiliariis liberè suffragia dicere: ea deinde princeps excutiat. Ipse sententiam non aperiat, neque ostendat, in quam partem inclinet. Si aliquorum consilia male ceciderint, eo nomine consiliarios non culpet: magis enim laudanda sunt consilia infausta, si cum rationes conjuncta sint; quam temeraria, quæ faustum eventum habent. Imprimis caveat princeps, ne uni consiliariorum ita obnoxius sit, ut ejus nutu omnia gerat.

XIV. Utile est principi habere consiliarios in vicinis regionibus, à quibus moneri possit de omnibus rebus, quæ ibi geruntur.

XV. Consilium aliud perpetuum est, aliud solenne. Perpetuum consilium voco, quod princeps semper habet in aula. Solenne consilium appello, quod statis temporibus indicitur, convocatis præcipuis regni proceribus, atque ordinibus. Ejusmodi consilium, comitia solet appellari.

XVI. Indicere comitia pertinet ad principem, aut ad eum, qui jus majestatis habet. Ea

tamen in ſtatu Monarchico non debent eſſe frequentia, ne ſummæ poteſtati aliquid decebat.

XVII. Princeps comitiis tempus & locum dicat, & capita deliberationis ad omnes ordines, & comitiorum membra, tranſmittenda curet. Ipſe comitiis interſit, capita proponat, de iis, ſi opus ſit, verba faciat.

XVIII. Hæc de conſiliariis: ſequuntur miniſtri ad res agendas, atque hi admodum varii. Alii enim ſunt publici, alii aulici. Publicorum miniſtrorum præcipui ſunt, Cancellarius, Gubernatores provinciarum, Præſides tribunalium publicorum, Imperatores, Tribuni equitum, Tribuni peditum; minus præcipui, Secretarii, Scribæ, Centuriones & Aulici, ut princeps Palatinus, hoc eſt Præfectus Aulæ generalis, Marſchallus aulæ, Cubicularius, &c.

XIX. Atque hæc Officia ita varie variant, ut certa ratio iniri non poſſit. Unaquæque enim Reſpubl. habet officia quædam ſibi propria.

XX. De his omnibus hoc unum notari poteſt; Ut primaria officia tribuantur regni proceribus, ac nobilibus; non plebeiis, niſi in iis ſingularis virtus emineat.

XXI. Utile etiam eſt ut princeps habeat emiſſarios quorum opera cognoſcere poſſit mentem & mores ſubditorum; ſed ita, ut ea

ea res subditos lateat, utque delatoribus princeps non temerè credat, neque quenquam hac sola de causa damnet, quia est ab exploratoribus delatus.

CAP. VII.

De Subditorum Nativitate, Educatione & Sepulturâ.

NIhil est ferè cujus majorem curam princeps gerere debeat, quam suorum subditorum. Nam si subditis bene sit, universa Resp. facile erit beata. In subditis multa spectari debent: nos primum locum dabimus nativitati, educationi, & sepulturæ.

II. Ut nihil in nativitate peccetur, certæ leges ferendæ sunt de ineundis matrimoniis. Neque enim permittendum est cuilibet, quamlibet ducere, aut cuilibet nubere. Neque tantum conditionis aut fortunæ, sed & virtutis, & ætatis habenda est ratio.

III. Nemini fas sit abortum fæminæ procurare, multò minus infantes recens natos exponere, aut necare, sed hæc tanquam atrocia facinora debent coerceri.

IV. Diligentes attendi debet ad illegitimas liberorum procreationes, eæque omnibus modis impediendæ, ne Resp. nothis & spuriis

spuriis repleatur. Quod ne fiat, spurii non facile ad dignitates evehendi sunt.

v. Constituendæ etiam sunt publicâ autoritate obstetrices peritæ & fideles, hisque in mandatis detur, ut ex parturientibus nomen patris sciscitentur, si maritos non habent.

vi. Hæc de nativitate sequitur educatio, quæ tam est necessaria in Repub. ut sine ea omnis magistratus cura inanis sit. De eâ sic statuendum est.

vii. Pueri domi educandi sunt ad annum septimum; inde cum parentum curâ publica cura principis se debet conjungere, & publica institutio. Neque liberum esse debet parentibus liberos suos in publicam disciplinam tradere, aut non tradere.

viii. Huic rei Collegia, Gymnasia, & Scholæ constituendæ sunt ad omnes liberales artes & reditus eo pertinentes. Quin etiam deligendi sunt viri prudentes, qui publica autoritate hoc unum agant, ut juventus bene instituatur.

ix. Seorsim instituendi sunt pueri & puellæ. Institutio puerorum vel ad corpus pertinet vel ad animum. Institutio corporis talis esse debet, ut pueri assuescant ad labores tolerandos, utque corpora exerceantur ad agilitatem & ad robur; id vel ut victum grandes parare possint, si necesse sit; vel

ut

ut idonei sint ad bellicos usus.

x. Cui rei Gymnasia constituat princeps, ubi omnia laudabilium exercitiorum genera præscribantur, quæ juvenes ad bellum præparent.

xi. Animi institutio vel mentem concernit, vel mores. Mens imbuenda est cognitione linguarum, artium & scientiarum liberalium. Sed hac in re adhibendum discrimen: Neque enim studio literarum dicandi, nisi qui ad eam rem idonei sunt; cæteri maturè opificia discant, aut mercaturam, aut disciplinam militarem. Nec quispiam sit in Rep. otiosus, nedum ut mendicare liceat sanis ac robustis.

xii. Artes puellarum sunt, legere, scribere, computare, nere, sarcire, &c. quas debent discere in separatis gymnasiis, ab honestis, & gravibus matronis à principe constitutis. Mores sive virtutes utrisque communes sunt.

xiii. Ut autem cives bene morati sint, omnes virtutes publicè jubendæ sunt, & contraria vitia, constitutâ pœnâ, prohibenda, & coercenda.

xiv. Neque vero hoc solum præcipere debet princeps, ut subditi vivant secundum præcepta Ethica; sed hoc quoque debet curare, ut servent præcepta Oeconomica & Politica. Maxime quidem interest Reip.

ut

ut ſubditi fortes ſint, temperantes, liberales, modeſti, juſti, contrariaque vitia ſtudioſè vitent: ſed tamen & hoc ad Reip. felicitatem pertinet, ut ſubditi prudenter rem familiarem curent, concordes vivant, contentiones vitent, & id genus alia quam plurima.

CAP. IX.

De Victu & Sanitate tuenda, de morte, ſepulturâ, aliiſque rebus ad felicitatem civium ſpectantibus.

ACtum eſt de ſubditorum nativitate & educatione: ſequitur porrò ut dicamus de victu, deque ratione curandæ annonæ.

II. Vt igitur difficultas annonę vitari poſſit, in Rep. conſtituendi ſunt procuratores annonæ, iiſque miniſtri adjungendi, qui ad omnia attendant, quæ vel obeſſe poſſint annonæ, vel prodeſſe.

III. Horum procuratorum munus eſto: Primò, menſuratum & ponderum rationem exigere, & explorare: eoſque punire, qui iniquâ menſurâ fuerint uſi. Deinde dare operam, ut agri diligenter colantur, propoſitis etiam præmiis, aut immunitate à vectigalibus in aliquot annos, ſi qui aut paludes exhauriant, aut agros ſteriles ſubigant, atque tollantur

tollantur impedimenta quibus ab operibus agricolæ distrahuntur. Tertiò, pretium annonæ constituere, ne cui liceat illud augere pro suo arbitratu.

IV. Quæ aliunde advehenda sunt, princeps curare debet, ut advehantur facile ac tuto, tum etiam, ut facile exportari possint, si quæ in Rep. supersunt.

V. Et ne penuria publica, aut fames metuenda sit, granaria constituantur, in quibus tantum frumenti colligatur, quantum satis esse judicabitur ad annuam necessitatem sublevandam.

VI. Cum jam necessitas premit, nihil exportari frumenti debet. Nulli licere debet plus habere frumenti quam necesse est: reliquum æquo pretio vendere teneantur, vel inviti. Flagellatores frumenti severè admodum puniantur.

VII. Si necessitas vehementer premat, frumentum publicum per familias dividatur, pauperibus gratis aut vili pretio: divitibus, modico.

VIII. Sic de victu: sed & sanitatis habenda est ratio: cui curandæ constituantur tum Ædiles, tum Medici.

IX. Ædilium munus sit providere, ne quid in urbe putidum sit aut fœtidum, neve corruptæ carnes aut pisces veneant, ex quibus rebus aut aër inficì possit, aut contagio nasci.

X. Me-

x. Medici constituantur periti & fideles; impostores & circumforanei, severè puniantur.

xi. Medicorum munus sit, non solùm ægros curare, sed etiam pharmacopœorum officinas publicâ autoritate lustrare, ne forte medicamentis utantur corruptis.

xii. Tempore pestis laborandum est, ne contagio serpat, quantum quidem illud fieri potest.

xiii. Si qui fugere contagionem velint, liberum esto omnibus, præter eos quibus publici officii causâ subsistendum est.

xiv. Atque hæc pertinent ad vitam subditorum: sequuntur, quæ circa mortem servanda sunt.

xv. Primum princeps rectè constituat, quæ pertinent ad rem testamentariam; detq; operam, ut bona defunctorum justis hæredibus intacta serventur, etiamsi longè sint absentes: quod non solum de civibus, sed etiam de peregrinis servandum videtur, etiamsi in Gallia & alibi contra fit, ubi Rex peregrinorum bona, si moriantur, fisco addicit, etiam propriis liberis ademta.

xvi. Corpora defunctorum sepeliantur extra hominum cœtum, ne vivis nocere possint: Et matutino potius, quam alio tempore.

xvii.

XVII. Cadavera neque nimis cito efferantur, neque nimis tarde. Pompæ funebres ſint moderatæ: Neque cuiquam liceat theſauros unà cum mortuis ſepelire.

XVIII. Atque hæc quidem omnia neceſſaria ſunt, ut ſubditi commode honeſteque vivant: ſupereſt, ut quædam adjiciamus, quæ pertinent ad ſplendorem & jucunditatem.

XIX. Ad quam rem requiritur, ut decus & ſplendor illuſtrium familiarum conſervetur in poſteris; utque homines illuſtres externis etiam rebus, ſuppellectile, victu & amictu tueantur dignitatem ſuam.

XX. Si qui nobilium peregrinas gentes inviſant, moribus exculti ſint, & ſumtibus idoneis inſtructi, ut domus ſuæ ſplendorem referant. Aliter enim futurum eſt, ut gentem ſuam dedecore afficiant.

XXI. Ad delectationem requiri videtur ut princeps ſuis ſubditis præbeat, aut ſaltem indulgeat, quædam genera publicorum ludorum, & conviviorum: ſed tamen iis modum ponat.

CAP. X.

De Gradibus ac Communione civium.

QUæ ſuperiore capite diximus, cives ſingulos ſpectant: ſequitur, ut civium gradus inſpiciamus, & communionem.

II. Gradus ſpectabimus in dignitate, officiis, & beneficiis.

III. Eminentiſſimi gradus eſt Dux; ſequitur 2. Marchio, 3. Lantgravius, 4. Comes, 5. Baro, 6. Nobilis, 7. denique plebeii, ſinguli ſecundum gradus, qui admodum varii ſunt, ut Mercatores, Milites, Agricolæ, Opifices, Mercenarii, &c.

IV. Ut autem ſubditi gradibus diſtincti ſunt, ita expediret Reip. ut diſtinctis modis rationem œconomiæ inſtituerent. Neque liceret nobili, imitari Baronem in faciendis ſumtibus: neque Baroni Comitem, ſed bene contrario modo, ſi iſtud inopia flagitet.

V. Quod attinet ad officia, ea ipſe princeps tribuat non ob pretium, ſed ob meritum. Eſt enim & turpe, & periculoſum, officia Reip. vendere.

VI. Officiariorum dignitatem, autoritatem & privilegia princeps diligenter tueatur: eorum ſimultates opprimat: in eorum adminiſtrationem & delicta inquirat.

VII. Cæterùm tam varia ſunt officia in unaquaque Rep. ut eorum nomenclator & leges, ex ſingularum rerum publ. deſcriptione petenda ſint.

VIII. Superſunt beneficiarii, qui & vaſalli dicuntur; eorumque beneficia, feuda nuncupantur vocabulo Longobardico, non Latino.

IX. Feudum eſt prędium aliaque poſſeſſio immobilis, à vectigalibus libera, quam quis beneficio principis poſſidet, ut pro eo obligetur ad fidem, & ad officia belli tempore principi præſtanda.

X. Si beneficiarius fidem datam domino fefellerit: eique periclitanti non tulerit auxilia, aut etiam, ſi illius dignitatem non fuerit pro viribus tutatus, ipſo jure beneficiis excidit.

XI. Neque verò ſolum ſubditi principibus feudi nomine tenentur fidem præſtare, quam homagium vocant; ſed & princeps principi, non quidem quatenus eſt princeps, ſed quatenus prædia poſſidet, in alterius principis ditione ſita.

XII. Atque hæc de gradibus, ſupereſt communio ſubditorum vel in familiis, vel in vicis aut pagis, vel in civitatibus, vel in collegiis.

XIII. De familiis dictum quidem eſt in Oeconomicis. Hoc tamen tenendum impræſen-

præsentiarum. Ad principem pertinere illustrium familiarum antiquam dignitatem tueri, omniaque jura, atque privilegia, quæ virtuti sunt tributa, ad posteros transmittere.

XIV. In hac tamen communione non debent censeri fœminæ, utpote quæ ex nativa familia transeunt in familiam mariti.

XV. Pagi & vici in tota Repub. debent esse frequentes, non solùm propter commoditatem eorum, qui iter faciunt; sed maxime propter agrorum culturam.

XVI. Ut ergo pagana communio conservetur, jura quædam tribuenda sunt pagis, & præfecti sive prætores, qui de causis quibusdam levioribus cognoscant; graviores causæ, & inter eas capitales, præstiterit urbibus servari.

XVII. Urbana ergo communio magis necessaria est ad Reip. felicitatem, quia & ipsa major est. In ea spectetur locus, Personæ, & jura.

XVIII. Urbs constituatur loco salubri, & tuto; addo etiam fertili, si sit campestris. Nam fertilitatem negotiationes facile compensant, si sint maritimæ.

XIX. An expediat arce muniri civitates, non potest sine distinctione affirmari. Arce enim opus est, si metuitur mala fides subditorum, aut si urbes sine arce non possunt com-

commodè muniri. Si urbes per se sunt validæ, & subditi fideles, non opus esse videtur arce.

XX. Personæ, quæ in hac societate considerantur, sunt cives, hoc est, qui eodem jure libertatis, iisdemque privilegiis & commodis utuntur. In hoc communi civitatis jure alii nascuntur, alii assumuntur. Et quamvis ambo cives sint, tamen aliquod discrimen intercedere debet, inter nativos cives, & assumptos.

XXI. Jura civitatum admodum varia sunt; & singulis fere peculiaria. In genere observari potest, admodum necessarium esse, ut princeps urbanas communiones, earumque jura ac privilegia tueantur. Quia urbes revera sunt excultrices commodarum artium ac virtutum, officinæ divitiarum, & asyla exercituum tempore belli, ac munimenta Reip.

XXII. Postremo collegia in Repub. aut instituenda sunt, aut permittenda, eaque vel Politicorum vel Ecclesiasticorum, vel etiam mercatorum aut opificum. Conventicula, & clandestinæ coitiones severè prohibeantur.

XXIII. In omnibus collegiis seriis (nam ludicra prætereo) sua autoritate princeps præsit, aut per se, aut per delegatum, aut saltem rescisçat, quæ istic peraguntur.

CAP

CAP. XI.

De Judicio forensi & censorio.

VT hæc omnia, quæ hactenus præcepimus, facilius obtineri possint in Repub. judicium requiritur ad bonorum propensionem ad virtutem augendam, & improborum malitiam coercendam.

II. Judicium aliud est forense, aliud censorium. Et forense, vel ad præmia pertinet & pœnas, vel ad lites.

III. Judicia forensia pulicè fieri debent, idque ad coercendam judicum improbitatem, & subditorum audaciam, & ad conciliandam rebus judicatis autoritatem.

IV. In præmiis & pœnis irrogandis princeps, aut illi, qui principis loco sunt, debent esse prudentes, & æqui. Si tamen peccandum est, præstat in præmiis peccare, quam in pœnis.

V. Præmii loco, vel opes tribuuntur vel honor. Et parcius quidem opes tribuendæ sunt, quam honores, ne ærarium publicum exhauriatur; attamen & in honoribus haberi debet modus; ne aut honores, nimis facile acquisiti, vilescant, aut subditi ad nimios honores evecti insolescant.

VI. Horum præmiorum varii sunt gradus,

dus, per quos aſcenditur. Nam aut plebeius decoratur nobilitate, aut nobilis creatur Baro, & ſic porro. Sic item in officiis ac honoribus bellicis, & alibi.

VII. Hæc præmia ſunt ordinaria. Extraordinarium præmium vocatur privilegium. Idque vel reale eſt, vel perſonale.

VIII. Perſonale privilegium eſt, quod uni tantum perſonæ ita conceſſum eſt, ut non tranſeat ad totam ejus familiam aut hæredes. Privilegium reale pertinet ad totam familiam, ſeſeque extendit ad hæredes.

IX. Privilegia vel in immunitate conſiſtunt ab oneribus Reip. vel in fruitione alicujus rei quæ beneficii loco conceſſa eſt. Conceduntur autem privilegia vel perſonis, vel communitatibus integris.

X. In irrogandâ pœnâ obſervandum eſt, ut ea delictis ac perſonis reſpondeat, utque abſit exceptio perſonarum: Et, ſi forte integra communitas puniendâ ſit, ut exemplum pœnæ pertineat ad omnes, ſeveritas ad paucos. Tale pœnæ genus olim erat decimatio.

XI. Lites vel inter magiſtratum & ſubditos, vel inter ſubditos oriuntur.

XII. Etſi monarcha non facile debeat permittere, ſibi controverſias moveri à ſubditis; ſi tamen ſubinde non poſſit iſtud evitari, convocet ſuâ autoritate præcipuos regni proceres

proceres, qui controversiam motam, sine præjudicio maiestatis, determinent.

XIII. Non liceat subditis temere litigare: si iusta, aut saltem probabilis litigandi causa est, optimum est, ut res tota ab arbitris componatur, ad impensas vitandas. Si illud fieri non possit, in iudicio publico transigenda res est.

XIV. In iudicio spectatur iudex, actor, reus, & iudiciorum administri.

XV. Iudicum varii debent esse ordines: sed in singulis ordinibus pauci, iique periti, probi ac cordati, ab affectibus vacui, & auctoritate præditi, qua cogere possent, si quis eorum sententiam contemneret.

XVI. Iudex debet iudicare secundum acta & probata: si velit conscientiam sequi, contra ea quæ in iudicio comparent, debet iudicis personam deponere, & fieri testis.

XVII. Actor est, qui accusat aut petit: reus, qui se defendit. Atque huius causa semper est favorabilior, quam illius.

XVIII. Administri forenses sunt advocati, notarii & scribæ. Horum officia & salaria certa constituenda sunt; graviterque animadvertendam in eos, qui modum præscriptum excedant.

XIX. Processus iudicii non debet trahi in longum tempus. Hæc enim res subditis est molesta admodum & noxia.

XX. Partes

XX. Partes judicii sunt citatio, comparitio, litis contestatio, causæ disceptatio, sub qua continetur exceptio, replicatio & duplicatio, testium aut instrumentorum productio, conclusio, sive sententia, & executio.

XXI. Judicia vel sunt civilia vel criminalia. In judiciis criminalibus actor est procurator Reipub. puta prætor; in civilibus, persona privata quæ offensa est.

XXII. Si delicta graviora sunt, judicia criminalia constant deprehensione, custodiâ, inquisitione, & pœnâ.

XXIII. Ut facinorosi capi possint, non sunt temerè constituenda asyla; nisi eo fine, ut hic aliquamdiu tuti sint, qui imprudentes peccaverunt, idque non adversus magistratum, sed adversus eos, qui acceptam injuriam vellent forte vindicare.

XXIV. Ad custodiam facit carcer potius, quam ad pœnam, nisi quis per sententiam judicum sit ad carcerem damnatus. Ideoque debent captivi decenter curari, ne pœnam ferant ante sententiam. Sint tamen carceres bene muniti, ne effugere possint detenti.

XXV. Inquisitio vel verbis fit vel tortura. Inquisitio per torturam, non facile adhibenda est, sed tum demum, cum pertinaciores manifesta delicta nolunt confiteri.

XXVI. Pœna varia est, mulcta, confiscatio omnium bonorum, carcer perpetuus, exilium, damnatio ad opera publica, flagra, mors; Atque ea item varia. Omnium autem maximè probanda est, quæ & ignominiosa est, & minus acerba.

XXVII. Verum enim verò, quia multi mores externi sunt, qui legibus politicis non possunt præscribi, ideoque non cadunt sub judicium forense; instituendum videtur judicium censorium. Est enim censura utilissimum repagulum multorum vitiorum, quæ alia ratione non possunt coerceri.

XXVIII. Censuræ debent esse obnoxia delicta privata; qualia sunt luxus in victu & amictu, in conviviis, ac supellectile: item lites conjugum, & inobedientia liberorum erga parentes servorum erga dominos nec non lis & discordia civium.

XXIX. Nemo sit immunis à censura, præter principem. Princeps enim, ut admoneri forte possit officii, si peccet; censeri non debet.

XXX. Munus censoris conferatur ab ipso principe: ad eamque rem adhibeantur viri graves & integri, maximaque auctoritate præditi: inter quos civitas sic sit distributa (si major sit) ut singulis cedat certus familiarum numerus observandus. Qui autem censuram judicabuntur incurrisse, vel gravi

gravi increpatione, vel mulcta etiam, qui pertinaces fuerint, corriguntor.

CAP. XII.

De reditibus Publicis.

Pecunia non belli modo, sed totius Reip. nervus est. Quare non obiter laborandum est principi, ut instructus sit amplissimis facultatibus, ad faciendos sumptus, qui necessarii sunt ad regendum, & iudicandum; vel etiam ad belligerandum si necesse sit: atque adeo, ut nihil publicis aut privatis usibus sibi desit.

II. Atque hoc loco duo potissimum spectanda: Modus acquirendi pecuniam, & modus dispeniandi ad usus convenientes.

III. Pecunia colligitur triplici potissimum modo, Ex re monetariâ, vectigalibus, & exactionibus sive tributis.

IV. Jus cudendæ monetæ recensetur inter iura maiestatis. Ergo nemini permitti illud debet nisi, principi. Et si quis ius illud usurpaverit, crimen læsæ maiestatis commississe iudicandus est.

V. Materia monetę sumi debet cum certo pondere, ea misceri, signarique debet, prout publicâ princeps autoritate constitutum erit.

VI. Pretium monetæ semel constitutum, arbitrio subditorum non augeatur, aut minuatur; sed constans sic ac permanens.

VII. Lucrum aliquod principi ex re monetaria redire potest, sed modicum. Si enim monetæ pretium multo majus constituatur pretio nudæ materiæ, res est plena periculo, ne subditi aut peregrini monetam imitentur.

VIII. Adulteratores monetæ gravissimis suppliciis coerceantur. Quin ne peregrina moneta admittatur, nisi cum id necessitas postulaverit.

IX. Vectigal est, quod magistratus percipit ex mercatura, hoc est, ex venditione rerum quæ venduntur, quæque invehuntur, aut exportantur.

X. In vectigalibus imponendis magistratus debet esse æquus, ne mercatura impediatur, aut aliò transferatur.

XI. Constituantur telonii sive publicani, qui suo periculo annua aut semestria vectigalia certâ pecuniæ summâ redimant: idque certâ lege, qua decernatur, quid pro singulis rebus sit persolvendum: additâ etiam pœnâ in eos qui publicanos defraudaverint.

XII. Tributum est, quod subditi pendent ex possessionibus suis; latine, collatio.

XIII. Et hic servandus est modus, ne aut ubditi exhauriantur, aut princeps adducatur in odium.

odium. Modus tamen esse debet aut major aut minor, pro modo necessitatis.

XIV. Utile est autem, ut collatio fiat ex iis rebus, quæ minus possunt nocere pauperibus, hoc est, non ex rebus ad victum sed ad voluptatem, delicitas, splendorem &c. pertinentibus.

XV. Præterea collatio vel ex rebus immobilibus fit, puta ex prædiis, agris, &c. vel ex mobilibus.

XVI. Ut autem tributum rebus immobilibus respondeat, debet princeps curare, ut omnium subditorum bona immobilia referantur in catalogos, ut censum, qui & quantitati & qualitati respondeat, singulis imperet.

XVII. Huic pertinent decimæ, quæ capiuntur ex frumento: Item quod capitur ex venditione rerum immobilium, & ex iis, qui in fundo Reip. ædificant, &c.

XVIII. Tres species præcipuæ constituuntur exactionis, Jugatio, Capitatio, & Hospitatio.

XIX. Jugatio est quæ pro magnitudine, numero, & qualitate agrorum imposita est. Dicitur à jugero.

XX. Capitatio est quæ in singularium personarum capita, non spectato facultatum modo constituitur.

XXI. Hospitatio est, cum subditi cogun-

tur militibus, aulicisve hominibus, præbere hospitium.

XXII. Hi sunt quidem præcipui modi acquirendi reditus: huc revocari possunt alii modi secundarii, cum principis facultates augentur dote, hæreditate, donatione, alluvione, &c.

XXIII. Collectos reditus princeps diligenter curet colligi, ac conservari, & prudenter dispensari, idque per personas fideles, quæ omnium rationem quotannis reddere teneantur. Nihil enim nocentius est, quam reddituum curam administris nimis secure credere.

XXIV. Omnes hi reditus servire debent principi, tum ad solvenda stipendia militum, & officiariorum, tum ad privatos usus. Quanquam videtur minus invidiosum, si reditus ad privatos usus, distinguantur ab iis, qui impenduntur Reipublicæ.

CAP. XIII.

De defendendâ, augendâ, & exornandâ Repub.

HOrum reddituum auxilio debet Princeps studere, Primò quidem, ut defendat ac tueatur Remp. deinde etiam ut augeat exornetque.

II. De-

II. Debet autem princeps defendere Remp. contra omnia mala, quæ quidem humanâ induſtriâ evitari poſſunt. Nam quæ humanâ circumſpectione, majora ſunt, Deo & naturæ permittenda ſunt: ut, nimii imbres, fulmina, impetuoſi venti, grandines, ſiccitates, terræ motus & id genus alia.

III. Res, quæ humana circumſpectione aliquatenus ſaltem, vitari poſſunt, ſunt admodum variæ. Primo loco occurrit inundatio maris, aut fluminum, & incendium.

IV. Inundatio aggeribus aliiſque munimentis coerceri debet. Incendium vel præcavendum, vel reſtinguendum.

V. Quo caveatur facilius, ædificia in urbibus ne contegantur ſtramine, ſed tegulis ſint etiam vigiles nocturni, qui conclament ad incendium, ſi quod forte conſpiciatur.

VI. Ad incendium reſtinguendum ſit certus ſcalarum & urceorum apparatus. Deinde baiuli, nautæ, & id genus alii homines, qui publica autoritate conſtituti, teneantor ad incendium reſtinguendum primi admovere manus.

VII. Incendiarii etiam acerbâ pœnâ puniuntor.

VIII. Secunda eſt defenſio adverſus famem, de qua ſupra egimus. Tertia adverſus noxias feras, urſos, lupos, apros, & id genus

alias. Huc facit venatio, quam aliquoties indicere rusticis princeps debet.

IX. Præcipue defensio suspicienda est adversus homines, veluti adversus homines seditiosos, prædones, piratas, latrones, sicarios, & id genus alios, quos omnes à suis finibus arceat quam diligentissimè: homines deligat armatos, qui eos investigent. Imprimis autem defensio meditanda est adversus hostes.

X. Ad quam rem necesse est ut in Reipubl. finibus sint munitæ urbes & arces; & imprimis sint muniti portus. Quod non solum necessarium est ad arcendos hostes, sed etiam ne quis aufugere possit ex Repub. aut exportare, quæ non debent exportari. Quin etiam utile esse videtur, ut in urbibus limitaneis aut portubus habeat militem præsidiarium.

XI. Ad hæc det princeps operam, ut sarta tecta conservetur subditorum existimatio, æque ac facultates. Quare prohibeat libellos famosos, & satyras in personas; item stelliones, iniquos fœneratores, sortiarios, &c. qui populum argento emungunt.

XII. Non Permittat cuiquam artem exercere Alchymisticam: coerceat decoctores, hoc est, qui foro cedunt suâ culpâ, nec infortunio quodam bonis sunt executi.

XIII. Non debent admitti in Rep. danistæ, quos

quos Lombardos vocant; sed ipse magistratus egenis pecuniam mutuo det in modicam usuram, si deponatur pignus.

XIV. De amplificanda Repub. non debet princeps nimis esse sollicitus: nam injustum est & periculosum aliorum ditiones invadere. Si quis tamen justo bello lacessitus est, ei licet non solum tueri suos fines, sed etiam invadere alienos.

XV. Exornatio Reip. quia neque injusta est, neque periculosa, diligentius curanda. Ornamentum consistit in splendore & utilitate publicorum operum, è quibus utilitas aliqua redit ad privatos cives.

CAP. XII.

De Aulâ Principis.

PRinceps præcipuè quidem curare debet Remp. sed tamen sui privati curam non debet penitus abjicere, neque aulæ suæ.

II. Cura privata sive aulica principis vel Personarum est, vel rerum. Inter Personas, sicut ipse caput est, ita quoque sui curam primo, ac præcipuè gerere debet.

III. Ad sui corporis securitatem adsciscat sibi satellites, & quidem ex eâ gente cui imperat, ne suis subditis videatur diffidere.

IV. Habeat etiam fideles coquos, carptores, & prægustatores.

V. Secundum cura sit de conjuge; quam sic regat, ut eam non sinat esse nimis sumptuosam: amoveat à Gynæceo exempla & irritamenta impudicitiæ, atque insolentiæ. Denique secretiora consilia uxori non facile credat, neque partem aliquam regiminis ei permittat.

VI. Tertia cunâ est de prole, quam curet lactari aut à matre, aut ab illustri fœmina, eâque spectatæ virtutis.

VII. Prolem masculam curet educari ab ejusmodi morum magistris & præceptoribus, qui illius mentem generosa virtute repleant.

VIII. In Affinitatibus contrahendis eligat princeps ejusmodi generos, qui Reip. sint profuturi.

IX. Fratribus non solum præbeat sumptus ad honestam & sua familia dignam sustentationem: sed etiam præfecturas committat, aliasve dignitates, si eorum fidem expertus sit. Sorores honestè elocet addita etiam dote, sed quæ tamen non obsit Reipublicæ.

X. Post consanguineos, sequuntur officiarii: quorum numerum princeps non augeat in immensum: sed habeat aulam, quantum potest fieri per dignitatem, contractissimam.

XI. Pri-

XI. Primaria aulæ ſuæ officia indigenis potius tribuat princeps, quam exteris. Primarii officiarii ſunt, Præfectus aulæ, ſive Palatinus, Mareſchallus, Præfectus ſtabuli, Cubicularii, Burggravius, ſive is qui regit inferiores aulæ miniſtros, Præfectus commeatus, Gallice, *Maiſtred' hoſtel.*

XII. Minus præcipui ſunt, miniſtri cubicularii, carptor, coquus, cellarius, &c.

XIII. Atque hos omnes princeps vel delectu, vel prudenti regimine efficiet, ut probi ſint, atque integri: quia plerique ex aulicorum moribus judicant de principe: tum etiam quia mores aulicorum facile ſerpunt in vulgus.

XIV. In victu, veſtitu, ſtipendiiſve præbendis, princeps neque nimis parcus eſſe debet, neque nimis effuſus.

XV. Res, quas princeps curare debet, vel eſt palatium, vel ſupellex. Atque hæc omnia ſint ſplendida & nitida.

CAP. XV.

De Peregrinis, deque Legatis & Fœderibus.

PEregrinis duplici ratione conſiderandi ſunt, nempe vel quatenus ſunt in regno, ibique vel peregrinantur, vel habitant, vel quatenus

quatenus sunt extra regnum.

II. Quod ad peregrinos attinet, constituendi sunt præfecti in limitibus præsertim, atque in ipsâ regiâ, aliisque locis munitioribus, qui peregrinos adventantes observent.

III. Tum etiam curandum est, ut peregrinantibus itinera sint tuta, & hospitia commoda, neque permittendum ut ab incolis peregrini exhauriantur.

IV. Errones illos quos Nubianos, & Cygaros vocant, tanquam exploratores, vel contitelliones arceant.

V. Principes ipsos, si forte regnum ingrediantur, advenientes ipse princeps excipiat, & discedentes honorificè deducat. Alios, qui inferiori loco sunt, quam est ipse, per aulicos excipiendos aut deducendos curabit.

VI. Si quis sint ex peregrinis, qui domicilium in Repub. figere velint, id princeps ne impediat si viri boni sint, aut saltem, si sua culpa patria non carent: si in justas ob causas exilio multari sunt, non ferat.

VII. Peregrinis tamen civitatis jus non facile est dandum, sed tum demum, cum manifesta Reip. utilitas illud requirit. Alioqui res per se non caret periculo.

VIII. Et ne peregrini aliquid moliantur contra Remp. certis legibus coërceantur.

IX. Ho-

IX. Honores, magistratus, nobilitatis insignia non facile tribuantur peregrinis, etiamsi domi suæ sint nobiles. Multo minus permittendum iis, ut jurisdictionem privatam exerceant.

X. Judæi in Repub. non sunt recipiendi, nisi certis conditionibus. Primò, ut se receptis civitatis legibus, ut alii cives, subjiciant, tranquilleque ac sine scandalo vivant. 2. Ne matrimonia cum Christianis contrahant. 3. Ne Christianos ad suam religionem pertrahere studeant. 4. Immodicas usuras ne exerceant. 5. Christũ Christianosve maledictis ne proscindant. 6. Ne Judæum ad Christum transire volentem, vexando impediant, &c.

XI. Sequuntur Peregrini extra regnum, cum quiquis princeps tractatus & fœdera pangere solet.

XII. In quibus omnibus princeps hunc debet habere scopum, ut pacem obtineat, beneque illi cum vicinis principibus conveniat; Et gentis suæ honorem apud exteros diligenter tueatur.

XIII. Id vero vel per litteras efficiet, vel per ministros delegatos. Quod autem per epistolas commodè, tutò, & honorificè fieri potest, ad eam rem delegati non adhibendi videntur.

XIV. Cui rei habeat Princeps certas literarum formulas, & unicuique principi debitos titulos:

titulos: fideles actuarios, & tabellarios. Utatur etiam occultis epistolarum notis.

XV. Ministri delegati, vel sunt agentes vel legati: iique vel perpetui, vel temporarii. Inter agentes & legatos nihil aliud interest, quam quod hi solenniores sint.

XVI. Agentes alii manifesti sunt, alii occulti. Atque his in eum finem utitur, ut quæ in aliis regnis gerantur, cognoscere possit.

XVII. In legatis mittendis, ineundus est accuratissimus delectus: eligantur tales, qui Reipub. emolumento, & honori esse possint. Ad quam rem requiritur Prudentia, eloquentia, gratia, linguarum peritia, &c.

XVIII. Legatus sit instructus literis fidei. Habeat etiam certum agendi modum sibi præscriptum. Neque ei liceat mandati fines transilire, nisi in summa & celerrima necessitate. Inter cætera habeat hoc in mandatis, ne dona accipiat ab illo principe ad quem mittendus est, nisi manifesta, atque adeo talia, quæ honoris causa dantur publicè.

XIX. Non solum mittendi sunt legati, sed etiam admittendi, si qui ab aliis principibus mittuntur.

XX. Legatorum litteras fidei princeps statim sibi tradi postulet. Quibus lectis honorem ei convenientem habeat. Ejus personam sanctam atque inviolabilem esse velit. Si quid tamen contra Rempub. machinatus fuerit, coercen-

coercendus est.

XXI. Legatos princeps ipse audiat, idque vel per se, vel per fideles interpretes.

XXII. Tractatus sive fœdera cum vicinis ineunda, alia aliis arctiora sunt, quædam enim vicinitatem tantum spectant, quædam amicitiam, fidem mutua auxilia.

XXIII. Quo autem gens vicina potentior est, eo princeps debet esse circumspectior. Et, si æquis conditionibus possit obtinere pacem, illud utissimum est, si non possit, limites bene muniat.

XXIV. Termini Jurisdictionis fixi sint & certi, si tamen de iis oriatur controversia, maturè sopiatur.

XXV. In arctioribus fœderibus princeps debet esse circumspectissimus. Ea enim res periculi plenissima est, in utramque partem, sive fœdera ineantur, sive non ineantur.

XXVI. Imprimis sunt periculosa fœdera, quæ imbecilliores ineunt cum potentioribus.

XXVII. Minus periculosa sunt fœdera, quæ tantum commerciorum causa ineuntur periculosiora, quæ ineuntur causa defensionis: periculosissima, quæ ineuntur causa offensionis.

CAP.

CAP. XVI.

De Bello.

ETsi autem pax longe maximè sit optanda præ bello: incidunt tamen tempora & causæ, quæ efficiunt ut bellum necessarium sit, & justum. Quarè de Bello est etiam Politicis præcipiendum.

II. Et quanquam bella vel offendendi vel defendendi causa justè possint inferri: Tamen cum jure naturali magis convenit defensio, quam offensio. Et offensio nunquam potest esse justa, nisi quoties damnum aut injuria Reipub. illata, propulsanda est.

III. Hæc ergo duo justam causam suppeditant suscipiendi belli; Remp. defendere, & damnum sive injuriam propulsare: sive, sua retinere, & amissa recuperare. Quæ si princeps alia ratione non potest obtinere, bello experiundum est, & armis suscipienda Reip. defensio: imo etiam offensio, si vires suppetant: si non suppetant, præstat injuriam illatam dissimulare, quam vindicando periculum sibi creare damni majoris.

IV. Ut autem in hac materia progrediamur ordine: sex potissimum capita sunt, de quibus aliquid dicendum: 1. De iis, quę bellū antecedunt

antecedunt. 2. De adminiculis, per quæ bellum geritur. 3. De ipsa belligeratione. 4. De adjunctis belli. 5. De effectis & consequentibus. 6. Denique de speciebus.

V. Quod ad primum caput attinet, Princeps curet subditos suos tempore pacis in armis exerceri, & ad bellum præparari. Nam multo tutius est subditis, quam peregrino milite uti.

VI. Si tamen subditi seditiosi sint, non debet iis princeps armorum usum permittere: multó minus, ut eos curet in armis exerceri.

VII. Neque vero solum armis tractandis assuefaciendi sunt subditi, sed etiam ad labores, incommoda, & opera militaria, si necesse sit, cum aliis molienda: & ut verbo dicam, ad omnia boni militis officia.

VIII. Antequam princeps bellum decernat, invocato nomine divino, de omnibus rebus rectè deliberet, vires suas simul & hostis expendat & conferat, in omnem casum consilia dirigat, ut nihil inexpectatum evenire possit.

IX. Si hisce omnibus ritè expensis, princeps decernat gerendum esse bellum, id denunciet aut per fecialem (vulgo *een herault*) aut per litteras. Non enim satis honestum est, principem nihil tale cogitantem bello adoriri. In bello defensivo denunciatio non requiritur.

X. Sequuntur

x. Sequuntur adminicula per quæ bellum geritur. Atque hæc sunt quatuor, Personæ, Res, Consilia, & Disciplina militaris.

xi. Persona præcipua sit ipse princeps. Nam cum necessariò debeat unum esse in bello caput, qui potestatem habeat absolutam, non satis tutum est hanc potestatem cuiquam tribuere.

xii. Si tamen princeps non possit interesse bello, legatum sibi constituat, ac ducem belli, indigenem, fidelem, fortem & circumspectum, & autoritate præditum & gratiâ.

xiii. Cæteræ personæ bellicæ, quæ principi inserviunt, milites dicuntur. Milites duplici modo conscribi solent: Prior modus est, cum tubâ aut tympano convocatur populus, ut, si quis milites esse volunt, nomina sua, acceptâ tesserâ, curent annotari, alter modus est, cum hoste subitò ingruente, populus sonitu campanæ aut alio signo convocatur ad defensionem.

xiv. Milites, si fieri potest, colligantur ex locis durioribus, qui ætate sint & corpore validi, animo acres, & moribus probati, idque ad certum numerum, ne aut multitudo aut paucitas sit detrimento.

xv. Milites conscripti accuratè lustrentur & rejectis ineptis, cæteri catalogo inscribantur, in classes distribuantur, & juramento auctorentur.

vi. Jura-

XVI. Juramenti certa sit & concepta formula, qua milites spondeant, se imperata ducis facturos, & disciplinam militarem conservaturos.

XVII. Miles vel est eques vel pedes. Uterque ad bellum gerendum necessarius. Et quamvis in præliis, quæ fiunt in locis planis, præferendi videantur equites; in locis tamen montosis, atque adeo respectu universi belli, pedites videntur esse potiores.

XVIII. Neque vero solum ordinariis militibus utendum, sed & subsidiariis, cum nempe necessitas postulat: iisque vel indigenis, vel peregrinis. Quanquam non nihil periculi habet multitudo peregrinorum militum: præsertim, si sunt eiusdem nationis, & ducem habent, qui peregrino principi obstrictus juramento est.

XIX. Milites vel gregarii sunt, vel officiarii, & officiariorum tanta multitudo, & tam diversi ordines, ut hoc experientia potius discendum sit, quam præceptis.

XX. Præter milites, multæ aliæ personæ necessariæ sunt in bello, nempe consiliarii, quæstores ærarii castrensis, supremus judex rerum capitalium. Item præfectus commeatus, præfectus armaturæ currum, navium, fossorum, pontium, &c. Idque cum certo personarum numero, qui sufficiat ad suppeditandum commeatum, ad vecturam, &c.

XXI. Sic

XXI. Sic de Perſonis: ſequuntur res & inter eas primò animalia, equi, & ubi id in uſu eſt, cameli, & elephanti.

XXII. Poſt animalia ſequitur pecunia, quæ revera eſt nervus belli.

XXIII. Tertio loco eſt commeatus, cujus maximam curam dux gerere debet. Commeatus vel ad homines pertinet, vel ad equos, aliaque jumenta.

XXIV. Quarto loco requiruntur arma, quibus milites debent eſſe inſtructi. Quod ut fiat, ſæpe arma militum luſtranda ſunt.

XXV. Præter arma requiruntur etiam alia inſtrumenta, tentoria, currus, naves, pontes, ſecures, ligones, &c.

XXVI. Arma & veſtes militum ne ſint nimis pretioſæ, ſint prolectamenta hoſtium ad fortiter pugnandum.

XXVII. Sequuntur conſilia, quæ in adminiculis belli gerendi tertium locum requirebant, Conſilium bellicum vel directum eſt, ac ſine dolo; vel indirectum, ac cum dolo conjunctum. Huc pertinet ſtratagema, exploratio, procuratio proditionis, procuratio diſſidiorum inter hoſtes, interceptio, inſidiæ, & mora. Atque hæc omnia licita ſunt & laudabilia, ſi ſint ſatis tuta.

XXVIII. Supereſt diſciplina militaris, quæ legibus continetur, & earum executione. Ac primò danda eſt opera, ut milites, quantum

quantum fieri poteſt, vivant iuxta leges Ethicas, Oeconomicas & Politicas, quibus jus naturæ & gentium continetur.

XXIX. Deinde obſtringantur legibus ſpecialibus, quæ ſolum militiam concernant, quibus jubeantur, quietè & pacatè vivere, tumultibus & ſeditionibus abſtinere; arma diligenter cuſtodire; in prælio fortitèr rem gerere, fidem datam ſervare: Pœna capitali conſtituta in eos, qui fugiunt ad hoſtes, quique pugnam detrectant, aut ſtationem deſerunt.

XXX. De militum delictis cognitio habeatur brevis: pœna ſit rigida, & legibus reſpondens. Ita tamen ut gradibus varietur ſecundum gradus delictorum.

CAP. XVII.

De Belligeratione, deque belli adjunctis & effectis.

TErtio loco dicendum propoſuimus ſupra de belligeratione ipſa. In qua hoc primo loco obſervandum eſt, ut omnes occaſiones captentur lædendi hoſtis, & ſibi proſpiciendi.

II. In bello primò conſiderabimus. Eductionem exercitus. 2. Stationem. 3. Impreſſionem. 4. Conflictum. 5. Obſidionem.

III. Exer-

x. Sequuntur adminicula per quæ bellum geritur. Atque hæc sunt quatuor, Personæ, Res, Consilia, & Disciplina militaris.

xi. Persona præcipua sit ipse princeps. Nam cum necessariò debeat unum esse in bello caput, qui potestatem habeat absolutam, non satis tutum est hanc potestatem cuiquam tribuere.

xii. Si tamen princeps non possit interesse bello, legatum sibi constituat, ac ducem belli, indigenem, fidelem, fortem & circumspectum, & autoritate præditum & gratiâ.

xiii. Cæteræ personæ bellicæ, quæ principi inserviunt, milites dicuntur. Milites duplici modo conscribi solent: Prior modus est, cum tuba aut tympano convocatur populus, ut, si quis milites esse volunt, nomina sua, acceptâ tesserâ, curent annotari, alter modus est, cum hoste subitò ingruente, populus sonitu campanæ aut alio signo convocatur ad defensionem.

xiv. Milites, si fieri potest, colligantur ex locis durioribus, qui ætate sint & corpore validi, animo acres, & moribus probati, idque ad certum numerum, ne aut multitudo aut paucitas sit detrimento.

xv. Milites conscripti accuratè lustrentur & rejectis ineptis, cæteri catalogo inscribantur, in classes distribuantur, & juramento auctorentur.

vi. Jura-

XVI. Juramenti certa sit & concepta formula, qua milites spondeant, se imperata ducis facturos, & disciplinam militarem conservaturos.

XVII. Miles vel est eques vel pedes. Uterque ad bellum gerendum necessarius. Et quamvis in prælijs, quæ fiunt in locis planis, præferendi videantur equites; in locis tamen montosis, atque adeo respectu universi belli, pedites videntur esse potiores.

XVIII. Neque vero solum ordinarijs militibus utendum, sed & subsidiarijs, cum nempe necessitas postulat: iisque vel indigenis, vel peregrinis. Quanquam non nihil periculi habet multitudo peregrinorum militum: præsertim, si sunt eiusdem nationis, & ducem habent, qui peregrino principi obstrictus juramento est.

XIX. Milites vel gregarij sunt, vel officiarij, & officiariorum tanta multitudo, & tam diversi ordines, ut hoc experientia potius discendum sit, quam præceptis.

XX. Præter milites, multæ aliæ personæ necessariæ sunt in bello, nempe consiliarij, quæstores ærarij castrensis, supremus judex rerum capitalium. Item præfectus commeatus, præfectus armaturæ currum, navium, fossorum, pontium, &c. Idque cum certo personarum numero, qui sufficiat ad suppeditandum commeatum, ad vecturam, &c.

XXI. Sic

XXI. Sic de Personis: sequuntur res & inter eas primò animalia, equi, & ubi id in usu est, cameli, & elephanti.

XXII. Post animalia sequitur pecunia, quæ revera est nervus belli.

XXIII. Tertio loco est commeatus, cujus maximam curam dux gerere debet. Commeatus vel ad homines pertinet, vel ad equos, aliaque jumenta.

XXIV. Quarto loco requiruntur arma, quibus milites debent esse instructi. Quod ut fiat, sæpe arma militum lustranda sunt.

XXV. Præter arma requiruntur etiam alia instrumenta, tentoria, currus, naves, pontes, secures, ligones, &c.

XXVI. Arma & vestes militum ne sint nimis pretiosæ, sint prolectamenta hostium ad fortiter pugnandum.

XXVII. Sequuntur consilia, quæ in adminiculis belli gerendi tertium locum requirebant. Consilium bellicum vel directum est, ac sine dolo; vel indirectum, ac cum dolo conjunctum. Huc pertinet stratagema, exploratio, procuratio proditionis, procuratio dissidiorum inter hostes, interceptio, insidiæ, & mora. Atque hæc omnia licita sunt & laudabilia, si sint satis tuta.

XXVIII. Superest disciplina militaris, quæ legibus continetur, & earum executione. Ac primò danda est opera, ut milites, quantum

quantum fieri potest, vivant iuxta leges Ethicas, Oeconomicas & Politicas, quibus jus naturæ & gentium continetur.

XXIX. Deinde obstringantur legibus specialibus, quæ solum militiam concernant, quibus jubeantur, quietè & pacatè vivere, tumultibus & seditionibus abstinere; arma diligenter custodire; in prælio fortiter rem gerere, fidem datam servare: Pœna capitali constituta in eos, qui fugiunt ad hostes, quique pugnam detrectant, aut stationem deserunt.

XXX. De militum delictis cognitio habeatur brevis: pœna sit rigida, & legibus respondens. Ita tamen ut gradibus varietur secundum gradus delictorum.

CAP. XVII.

De Belligeratione, deque belli adjunctis & effectis.

TErtio loco dicendum proposuimus supra de belligeratione ipsa. In qua hoc primo loco observandum est, ut omnes occasiones captentur lædendi hostis, & sibi prospiciendi.

II. In bello primò considerabimus. Eductionem exercitus. 2. Stationem. 3. Impressionem. 4. Conflictum. 5. Obsidionem.

III. Exer-

III. Exercitum educturo deliberandum est, utrum magis expediat hostem ad limites tuæ ditionis exspectare, an illius ditionem invadere.

IV. Cæterum qui exercitum ducit per suum aut per amici sui agrum, sedulo advertat, ne noceat incolis, neve iis molestus sit. In agro hostili prædari possunt milites, sed non effuse, ne ab insidiis circumveniantur. Quod si alieno exercitui transitum per ditionem tuam permittas, (quod aliquando faciendum est) omnia diligenter munita sint.

V. Locus exploretur per quem exercitus ducendus est, sit ne sylvosus, montosusque, an planus, augustus, an latus, pervius, an fluminibus, aliisque rebus impeditus ac clausus, &c.

VI. Ad stationem metanda & munienda sunt castra loco opportuno, hoc est, idoneo ad commeatum, & qui expugnatu difficilis, & insidiis non sit obnoxius. Forma sit ad naturam loci, & ad numerum militum accommodata. Loca in castris seorsim tribuenda equitibus & peditibus, omniaque servata debitâ proportione ordinanda.

VII. Si statio longa futura est, exercitus in hyberna ducendus est, ne castrorum incommoda nimis militem affligant. Hæc tamen incommoda ferenda sunt, si periculum

lum invasionis metuitur ab hoste parato.

VIII. Impressio, in hostem non est facile facienda, nisi perterritum, aut securum atque imparatum. Si enim hostis paratus sit, seseque fortiter defendat, potiores sunt partes defendentis, quam offendentis.

IX. Conflictus levior, dicitur velitatio. At is qui justo exercitu fit, prælium appellatur. Antequam ad justum prælium veniatur, utile est præmitti milites aliquot velitandi causa; idque vel ad explorandas hostium vires, vel ad cognoscendos aut etiam augendos militum animos.

X. Prælium non est incundum ad arbitrium hostis procaciter provocantis, sed ad loci, temporis, aliarumque rerum opportunitatem.

XI. Dux milites ad prælium vultu constanti, & apta oratione horteturt spem fugæ præcidat. Ipse prælio intersit, nihil enim magis incendit virtutem militum, quam præsentia Ducis. Duci detur legatus, qui, eo mortuo, si forte contingat, prælium continuet. Inter præliandum, nihil adversi significetur militibus, sed caute dissimuletur. Si quid profectum est, id augeatur porro, & militibus innotescat ad augendam audaciam.

XII. Lectissimos aliquot milites dux in insidiis collocet, qui de improviso in hostem integris

integris viribus irrumpant. Ea enim res plurimum habet momenti ad victoriam. Ipse interim ab hostis insidiis sibi, quantum potest, cavet.

XIII. Si victoria potiatur, ne milites nimis cito turbata acie discurrant ad spolia; non etiam temere hosti fugienti instandum; Nam una salus victis nullam sperare salutem.

XIV. Si forte hostis superior evadit, exercitus se integris ordinibus recipiat in locum tutum. Non enim minoris artis est, subducere exercitum victori, quam vincere.

XV. Obsidio vel facienda, vel sustinenda est. Qui arcem aut urbem obsessurus est, ei debet accurate notum esse quantum hostis habeat commeatus, & quousque ei victus suppetere possit, si sit tam munita, ut armata manu non possit capi. Si capi possit vi, non necesse est de commeatu cogitare.

XVI. Hostis circumcirca castris cingendus est, ne quid inferri, aut efferri possit. Nulli liceat egredi, ut citius absumptus sit commeatus. Cum urbs aut arx cingi circumcirca non potest, vi expugnanda est. Neque tamen temere tentandæ sunt impressiones, & cavendæ obsessorum improvisæ eruptiones.

XVII. Cum obsessi dedere se parati sunt, non est cunctandum, neque se victor difficilem præbere debet circa conditiones: fidem

datam

datam religiosè servat, & pactas conditiones impleat. Si armata manu urbem occupet, temperet se ab imbelli turba fœminarum, puerorum, & senum: tantum sæviendum in repugnantes. Direptiones tamen bonorum non sunt impediendæ.

XVIII. Qui obsidionem metuit, urbem suam muniat, opere & milite: tum etiam sibi de victu prospiciat in longum tempus. Obsessi subinde irruant in hostium castra, præsertim si externa auxilia, sibi adesse sciunt, quæ castra à tergo invadant.

XIX. Si nulla spes sit solvendæ obsidionis, extrema necessitas non est exspectanda, ne arbitrio obsidentium sese cogantur permittere.

XX. Adjuncta belli sunt cædes hostium vastatio, demolitio, prædatio, rapina. Quæ omnia in hostem tam sunt licita, quam ipsum bellum: sed antequam in fidem sint recepti.

XXI. Captivi vel pretio vel permutatione dimittendi sunt, secundum qualitatem personarum.

XXII. Scelerati, tyranni, transfugæ, proditores, &c. non sunt in fidem recipiendi; nec, si per ignorantiam recepti sint, servari debent.

XXIII. Victor victis imperet, & victi imperata facere debent, victorique ut legitimo

magistratui parere. Dominia, resque bello acquisitæ cedant in commodum Reip. nisi quod præda quædam, sive spolia militibus dividenda sint.

XXIV. Quin utile est ad securitatem in subjugatam regionem colonias deducere.

CAP. XVIII.

De Belli speciebus.

BEllum variè dividitur. Ac primò vel continuum est, vel interruptum induciis. Quæ, si legitime contrahantur, fides hosti servanda est.

II. Quod si post inducias iterum ad bellum accedatur, præsertim si longiores fuerint, solent ea fere esse acerbiora & crudeliora, redintegratis viribus.

III. Quod si bellum penitus finiatur, pax dicitur. Quæ tamen admittenda non est, nisi honesta sit, ac tuta, aut necessaria.

IV. Si conditiones pacis sint tolerabiles, non est aspernanda. Et, si semel sancita est, diligenter retinenda. Optima est, quæ ignoscendo transigitur.

V. Secundo, Bellum vel cum propinqua vel cum remota gente geritur. Et, si cum remota, danda est opera, ut vicinos habeas benevolos.

VI. Tertio

VI. Tertio, Bellum vel in propria, vel in communi causa est: Et, si in communi causa bellum susceptum est, non debet princeps fœderatos suos deserere; & tamen ita res suas componere, ut, si ipse ab aliis deseretur, posset tamen rebus suis bene consulere.

VII. Quartò, Bellum aliud terrestre est, aliud navale: illud detrimentosius est Reipub. hoc terribilius est militibus. Cæterum, quæ navali bello propria sunt, ad disciplinam nauticam magna parte spectant.

VIII. Quintò; Bellum vel defensivum est, vel offensivum. Utrumque periculosum, sed magis tamen offensivum. Quia magis favere solemus iis, qui sua defendunt, quam qui alios offendunt.

IX. Postremo, Bellum aliud externum est, aliud civile, sive intestinum. Et quamvis omne bellum luctuosum est & fugiendum, quantum potest maxime: tamen omnium luctuosissimum est bellum civile: utpote, in quo nihil miserius est ipsa victoria, quam necessariò sequitur aut interitus Reipublicæ, aut mutatio.

X. Princeps animadversis seminibus belli civilis, proceres, quos suspectos habet, alio ableget specie honoris, omniaque faciat, ad causas civilis tumultus auferendas.

CAP. XIX.

De Vitiis principatus & causis mutationum.

SIcuti corpora viventia suos habent morbos, ac tandem intereunt; ita quoque corpora politica, sive Respublicæ, sua patiuntur vitia, & mutationes, ac tandem penitus intereunt.

II. Vitia leviora sunt, cum princeps aut ob longam absentiam, aut ob impotentiam animi, minus idoneus judicatur ad res gerendas. Unde sit, ut aut omnium subditorum incurrat odium, aut despectum.

III. Est etiam inter vitia principatus & causas mutationum numeranda, spontanea principis abdicatio, aut mors, non constituto legitimo, eoque adulto, hærede ac successore.

IV. Plurimum præterea valet ad indignationem subditorum concitandam, eosque impellendos ad studium novarum rerum, intemperantia, luxus, libido, crudelitas, & rapacitas principis.

V. Atque hæ quidem causæ internæ sunt: externæ causæ sunt vel migratio gentium, quæ patriâ ob egestatem relictâ, novas sibi sedes quærunt; vel subjugatio. Perit enim

enim Reſpub. cum redigitur in poteſtatem peregrini principis. Eo modo Romani plurimas Reſpub. deſtruxerunt.

VI. Reſpublica ſive principatus vel degenerant in anarchiam, vel in polyarchiam, vel in tyrannidem.

VII. Anarchia eſt, ubi pulſo magiſtratu, quilibet vivit ſuo arbitratu.

VIII. Polyarchia eſt, cum duo pluresve ſeſe gerunt pro ſupremo principe.

IX. Tyrannis eſt, cum quis contemptis legibus, ſubditos non pro civibus habet, ſed pro ſervis.

X. Tyrannue vel titulum habet principatus, vel non habet titulum.

XI. Tyrannus dicitur habere titulum, qui legitimè conſtitutus, non imperat tamen legitimè.

XII. Tyrannus ſine titulo eſt, qui Remp. ſibi, neque ſucceſſionis, neque electionis jure commiſſam, vel vi, vel fraude invadit.

XIII. Notæ futuri Tyranni ex multis hæ paucæ notari poſſunt. 1. Si leges fundamentales, & privilegia ſubditorum violet. 2. Si jure majeſtatis abutatur ad crudelitatem aut ad rapinas. 3. Si ſpernat religionem, pietatem & juſtitiam. 4. Si res & reditus publicos in proprios uſus convertat invito populo. 5. Si velit ſubditos in pauper-

tare vivere, vel si inter eos alat dissentiones, &c.

XIV. An liceat subditis tyrannum occidere, controverti solet à Politicis. Ea quæstio hoc fere modo solvi posse videtur: si quis sine titulo, tyrannidem affectet, aut jam teneat, is tolli potest sine dubio, quia instar hostis est.

XV. Si tamen à consentiente populo ei fides præstita est, jam jus habere censetur. Et, cum ejusmodi tyranno aliter agendum est. Si quis legitimè constituturus est in principem, non prius pro tyranno habendus est, quam ab ephoris, aut proceribus regni, qui populi jura, ac privilegia tueri debent, declaratus sit principatu excidisse.

XVI. Neque prius declarari debet excidisse principatu, quam manifestissima ediderit tyrannidis indicia.

XVII. Cum ergo rite declaratus est ob tyrannidem, & violatam fidem, excidisse principatu, pro hoste habendus est, populusque solutus est juramento fidelitatis.

CAP. XX.

De Religione.

Sicuti homo non potest esse beatus sine religione; ita etiam non potest Politia esse

esse beata, in qua religio contemnitur.

III. Neque vero religio principi debet esse prætextus, aut pro terriculamento, quo subditi contineantur in officio; sed veram ejus curam gerere debet, ipseque exemplo suis subditis præire.

III. Cui rei sibi vendicet princeps jus quoddam majestatis in Ecclesia. Ad quod pertinent, 1. Jus vocandi & constituendi ministros ecclesiarum per ditionem suam. 2. Sanciendi & promulgandi leges de ordine & disciplina ecclesiastica, deque ecclesiastica, deque ecclesiasticis judiciis.

IV. In his tamen nihil constituat, nisi auditis primum consiliis Ecclesiastarum. Quin etiam utile est principi inter consiliarios suos habere viros religiosos, & disciplinæ ac juris ecclesiastici peritos, quorum consilio uti possit in rebus ad ecclesiam pertinentibus.

V. Coerceat princeps blasphemos, & periuros: Item impostores, seductores, qui non tantum ipsi perperam de Deo, deque religione sentiunt: sed alios quoque pertrahere in sententiam, & pacem ecclesiæ turbare malitiose studeant.

VI. Quin etiam Ecclesiam tueatur, adversus vim & injuriam externam. Præterea reditus constituat, & qui constituti sunt, conservet, & stipendia honesta ecclesiasticis

persolvenda. Neque patiatur facile, bona ecclesiis destinata, ad profanos usus transferri.

VII. Et quia nullum majus in Repub. bonum est quam consensus in Religione; Princeps omnibus modis operam dare debet, ut dissensiones non oriantur, antequam certamina incalescant, & in vulgus emanent.

VIII. Cui rei coget synodos, sive cœtus ecclesiasticos in quibus de controversiis subortis cognoscatur, & judicium feratur, quibus ipse vel per se, vel per legatos suos præerit.

IX. Si qui à vera receptaque religione dissenserint, non est in eos sæviendum exiliis aut supplicijs, nisi cum Religione aliquid commissum sit, quod politicum sit. Princeps enim non debet sibi vendicare imperium in conscientias. Fides enim suadetur, non cogitur. Et diversitas religionum inter subditos, non evertit unitatem Politiæ.

X. Si quæ pacta, aut salvi conductus subditis concessi sint in religione dissentientibus, ea princeps servare debet. Nihil hac voce pestilentius; Hæreticis non est servanda fides.

XI. Hæc ad principem pertinent: subditorum officium in Religione est, Principis jus & majestatem in rebus etiam ecclesiasticis agnoscere,

agnoscere, eique parere in omnibus, quæ ex verbo Dei, de cultu Dei, religioneque præceperit.

XII. Neque vero liceat personis ecclesiasticis peregrinam jurisdictionem implorare. Nam quia sunt pars Reipub. (nisi quis velit Remp. in Repub. constituere) etiam Politico magistratui æque ac cætera membra, subesse debent.

XIII. Si princeps à vera religione alienus sit, non propterea desinit esse legitimus princeps: multo minus istoc nomine habendus est pro tyranno.

XIV. Itaque non debent subditi religionis causa insurgere adversus principem, modo persecutionibus non sæviat. Hoc si contingat, privati homines fugere debent persecutiones, aut ferre, usque dum proceres, aut inferior magistratus, eos defendant, ac tueantur.

CAP. XXI.

De iis, quæ Aristocratiæ & Democratiæ communia sunt.

ATque hæc quidem omnia de Monarchia sive de principatu dicta sunt: quæ etiam ad Aristocratiam ad Democratiam certâ quadam ratione debent accommodari.

11. Præter nonnulla adhuc observanda restant, quæ vel Aristocratiæ & Democratiæ communia sunt, vel singulis peculiaria. Sed de communibus utriusque affectionibus agemus primo loco.

11. Status Monarchicus haud dubie optimus est naturâ suâ, quia non est obnoxius dissensioni: & status in quo imperium penes plures est, eatenus est laudabilis, quatenus ad unitatem reducitur. Hæc unitas in consensione & concordia consistit.

IV. Quia autem regimen & usus iurisdictionis non est penes unum aliquem in solidum, consultum est & utile, ut aliquis comuni suffragatione delegetur, qui tanquam minister, iurisdictionem exerceat; vel etiam per vices exercere iurisdictionem poterunt, qui imperant.

V. Ubi suffragia dissident, ex pluribus suffragiis constituenda sunt decreta; alioqui status turbabitur facillime.

VI. In rebus periculosissimis utile est summam Reip. uni alterive committi, qui extraordinariis consilii provideant, ne quid Resp. capiat detrimenti.

VII. Qui imperant in statu plurium, eos utile est in tres ordines distingui, in senatores, executores, & iudices.

VIII. Tempore belli creandus est imperator sive dux generalis, penes quem sit summa

summa rei bellicæ. Quia lenta consilia non sunt idonea bello.

CAP. XXII.

De Aristocratia.

ARistocratia est status in quo excellentioribus aliquot, jus maiestatis, & imperium in cæteros concessum est.

II. Quia autem pauciores imperant in Aristocratia, quam Democratia; ideo etiam perfectior status est, propiusque ad unitatem accedens.

III. Jus imperandi optimatibus indivisim competit, & omnibus ex æquo.

IV. Jus convocandi collegas, potestas proponendi capita deliberanda, rogandi & colligendi suffragia, omnium consensu transferri debet in unum, qui isto munere vel perpetuo, vel ad tempus fungatur.

V. Consilia sua habeant secreta, & imperio excidat, qui propalaverit, quæ fuerant tacenda.

VI. Optimates vel sorte eligendi sunt (quod tamen vix locum habere debet nisi in constitutione imperii Aristocratici) vel suffragiis reliquorum optimatum. Hoc enim multo tutius est, quam ut potestas eligendi optimates sit penes populum.

VII. In personis eligendis præcipuè pectari debent prudentia & virtus; secundariò, nobilitas, census, ætas, &c.

VIII. Optimates autem vel summum habent imperium, ut Veneti, & hæc est Aristocratia propriè dicta; vel agnoscunt aliquem in terris superiorem, ut fit in multis civitatibus Germaniæ.

IX. Præterea imperium optimatium aut perpetuum est, aut temporale.

X. Morbus hujus status est dissensio optimatium, qui nisi tempestive sanetur, desinit in Oligarchiam, quæ est Aristocratiæ veluti interitus.

XI. Est autem Oligarchia quando pauci ex optimatibus collegis exclusis, imperium invadunt, & pro arbitrio, contemptis legibus, reliquam multitudinem opprimunt.

XII. Atque hoc ab ipsis optimatibus metuendum est. A subditis metuendum, ne velint Aristocratiam mutare in Democratiam ad quam maxime propendet multitudo & plebs.

XIII. Quod ne fiat, efficiant optimates, ne plebs instigetur contra statum optimatium, graviterque animadverat in eos qui tale quid comperti fuerint tentaviſſe.

CAP.

CAP. XXIII.

De Democratia.

DEmocratia est status, in quo civium vel omnium, vel magnæ partis nomine, quidam ad tempus cæteris omnibus in universum & singulis imperant, & jus majestatis, summamque potestatem exercent.

II. Democratia est status natura sua imperfectissimus, quia longissime recedit ab unitate. Et tamen propter singulares circumstantias, sæpe cæteris præferendus est.

III. In hoc statu jus majestatis penes populum universum est, cujus arbitrio id à deputatis magistratibus exercetur. Et, ut compendium fiat exquirendi suffragia singulorum, constituendi sunt præfecti tribuum, aut classium quarundam, qui suffragium ferant suæ tribus, aut classis, in deputandis magistratibus.

IV. Natura igitur Democratiæ posita est in æqualitate honorum, juris ac libertatis, qua fit ut alii aliis parere non velint, nisi ea lege, ut ipsi vicissim imperent iis, quibus paruerunt.

V. Et ne hanc æqualitatem impedirent sua autoritate illustres ac præstantes viri,

cos

cos ostraciſmo, ut Athenienſes, aut Petaliſmo, ut Lacedæmones, in exilium agebant.

VI. Utile eſt in Democratia temerarias accuſationes prohiberi, item bonorum confiſcationem, ne popularium autoritas decreſcat, & opes exhauriantur, & optimates hac ratione prævaleant.

VII. Et quo melius inter cives conſervetur concordia atque amicitia, crebro convenire debent, & collegia inſtituere, ſed ita tamen ut opes ejuſmodi viſitationibus ac conventibus non exhauriantur.

VIII. Populari regimini convenientiſſimum eſt, magiſtratus legere ex omnibus civium ordinibus, nulla habita ratione cenſus aut nobilitatis, ſed tantum earum virtutum, quæ in magiſtratu requiruntur.

IX. Quare admodum utile fuerit primum ſuffragiis eligi duplum numerum, ex quo deinde ſorte eligantur ii, qui magiſtratum gerent. Sic enim & virtutis haberi poterit ratio, & tamen ſervabitur æqualitas. Et in ſuffragatione utendum eſt calculis potius, quam voce.

X. Populare imperium raro poteſt eſſe diuturnum, niſi ſapientiſſimi alicujus civis conſiliis ac nutu, regia poteſtate, non nomine, moderetur.

XI. Et cum ſtatus popularis mutatur, id non ſenſum fit, ſed momento. Populus enim

enim agit impetu quodam potius quam moderata ratione.

XII. Degenerat autem Democratia, vel in Ochlocratiam atque Anarchiam, vel in Monarchiam, aut Aristocratiam, vel in Timocratiam, hoc est in statum, in quo divites imperant, cæteris civibus tenuioribus exclusis.

XIII. Quæ incommoda ut vitentur, licentia magistratuum debet coerceri, ne exorbitet.

XIV. Contra ipsi magistratus magis utilitati publicæ studere debent, quam gratiæ aut favori populari. Quin eos coerceant, qui populum sibi adulationibus conciliant, & divites cordatosque viros calumniis onerant; & in odium atque invidiam adducunt.

CAP. XXIV.

De mistis formis Rerumpublicarum.

HActenus actum est de Rebusp. simplicibus; sequuntur mistæ. Miscetur aut Respub. vel ex Monarchia & Aristocratia, vel ex Aristocratia & Democratia, vel ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia.

II. Status Mouarchicus cum Aristocratia mistus, omnium videtur præstantissimus. Habet

Habet enim utriusque commoda, & remedia iis malis opposita, quæ ex utroque seorsim metuenda sunt.

III. Monarchia in hoc statu non habet summam potestatem. Ideoq; nihil magni gerere debet, aut potest, sine consensu optimatiū

IV. Inter principem atque optimates intercedere debent quædam pacta, quibus se toti Reip. & sibi invicem obstringunt. Hæc pacta sunt fundamentū, quo nititur hic status.

V. Princeps legi debet ab optimatibus & ex optimatibus. Idque potius occultis calculis, quam sorte, aut suffragiis apertis.

VI. Optimates etiam à Principe & ab optimatibus eligendi sunt, non ex plebe sed ex optimatium liberis.

VII. Princeps creatus juret optimatibus, se daturum operam, ne quid Resp. detrimenti capiat, omniaque pacta & leges fundamentales servaturum. Similiter & ii, qui in optimatium collegium allegūntur, jurabunt principi.

VIII. Itaque princeps, singulis optimatibus superior est; omnibus simul sumptis, inferior. Itaque sicut nihil statuere potest sine optimatibus, ne litteras quidem Reipub. nomine ad exteros scribere: ita habet jus convocandi optimates, proponendi capita consultationis, & rogandi suffragia.

IX. Si quid princeps deliquerit, ad optimates pertinet eum monere, corrigere, reprehendere,

hendere, mulctare, abdicare, imo etiam capitis damnare. Quod si neglexerint, culpa Reip. malè administratæ imputanda est etiam optimatibus, quibus admodum turpe est, ita principi adulari, ut ad illius nutum loquantur.

x. Cæterum in hoc statu vel Monarchia prævalet, vel Aristocratia. Monarchia prævalet, cum princeps majorem habet autoritatem quam optimates. Quod, quando fit, successio locum habere potest. At ea non potest habere locũ, ubi prævalet Aristocratia.

xi. Status ex Aristocratia & ex Democratia temperatus dicitur, in quo ita imperant optimates, ut populus etiam particeps sit imperii.

xii. Itaque in hoc statu debet esse duplex magistratus, & suffragia duplicia, optimatium & populi. Populus cum optimatibus imperat per delegatos, qui populi vice, magistratu funguntur ad tempus. Tales in Repub. Romana dicebantur Tribuni Plebis.

xiii. Hic status idoneus est ad regendas singulas urbes, eas præsertim, in quibus mercatura viget, & opificia. Nam in Monarchia, nimia licentia nobilium & aulicorũ hominum molesta est mercatoribus atque opificibus.

xiv. In regimine singularum urbium, præter jus naturæ & gentium, viget jus municipale,

municipale, sive leges & statuta propria singulis urbibus.

XV. Regimen ita fere instituitur, ut in tres ordines divisum sit, in ordinem senatorium, judicum, & populatem.

XVI. Numerus Senatorum non potest definiri certo, sicuti neque graduum diversitas; quæ omnia pedent à diversis urbium institutis

XVII. Unus tamen inter omnes designari debet, qui conventus indicat, ibique præsideat, capita deliberationum proponat, suffragia roget, colligat, libellos supplices recipiat, litteras signet, sigillum custodiat, &c. Atque hæc etiam in ordine Judicum servanda sunt.

XVIII. Populus vel ut magistratus consideratur, vel ut subditus.

XIX. Magistratus popularis ex toto corpore suffragiis eligendus est, qui ad tempus, cum ordine Senatorio, imperet, & hoc agat præcipuè, ne ab optimatibus plebs vexetur iniquis tributis, aliisve oneribus.

XX. Interdum autem prædominatur Aristocratia, interdum Democratia. Ubi Aristocratia prædominatur, magistratus legitur ex primariis civibus: qui diligenter debent jura sua custodire, ne sibi ea à popularibus eripiantur.

XXI. Si plebeii collegia habent, & ordines opificiorum, eorum primicerios constituant ipsi optimates, & eorum etiam collegiis aliquis

quis ex optimatibus interfit.

XXIII. Ubi prævalet Democratia, ibi omnia se habent contrario modo: opifices etiam leguntur in senatum; iique habent suos conventus etiam insciis optimatibus, quorum primicerios ipsi constituunt.

XXIII. Cum hic status vitiatur aut corrumpitur, desinit aut in Oligarchiam, aut in Ochlocratiam: illam invehunt optimates; hanc plebs, sive populares.

XXIV. Superest status ex Monarchia, Aristocratia & Democratia temperatus. Hic status videtur omnium tutissimus, quia duæ reliquæ formæ, tertiam impediunt, ne possit Remp. turbare. Et plerumque oritur hic status cum subditi Monarchiæ aut Aristocratiæ pertæsi sunt.

XXV. Hic status convenit civitatibus, quæ sub se continent amplissimas ditiones, aut integris provinciis. Nam in augusta ditione non potest habere locum splendor Monarchicus.

XXVI. Difficile est, ut hic status æqualiter sit ex tribus formis temperatus. Fit autem fere ut aut duabus una, aut uni duæ formæ prædominentur. Interdum Monarchia prædominatur, interdum Aristocratia, interdum Democratia, formis reliquis. Interdum contra Monarchia, aut Democratia superatur à formis reliquis. Idque pro natura populi,

populi, ac ratione institutorum.

XXVII. Ubi prædominatur Monarchia, non sunt optimatibus aut Popularibus concedendi conventus, nisi in quibus Monarcha præsideat.

XXVIII. Ubi Aristocratia prævalet, ibi necesse est optimates habere peculiarem potestatem conveniendi seorsim, ut deliberare possint de prærogativa sua tuenda.

XXIX. Status in quo totus populus promiscue prædominatur Monarchiæ aut Aristocratiæ, non facile dari potest, nec si daretur, posset esse diuturnus.

XXX. Itaque dicitur prædominari Democratia, cum pars populi eminentior, & genere atque opibus præstantior, prædominatur Monarchæ & Optimatibus.

XXXI. Ubi Monarchia eminet cum Aristocratia, providendum est popularibus, ne penitus excidant regimine. Et sic in cæteris formis, tertius ordo niti debet, ut potestatem tueatur suam, ne à duobus reliquis ordinibus qui prævalent, penitus excludantur.

FINIS.

ELENCHVS
CAPITUM IDEA

I.
Doctrinæ Oeconomicæ.

I. *De Oeconomica natura.* pag. 1
II. *De Patrefamilias.* 4
III. *De Societate conjugali.* 6
IV. *De Societate paterna.* 9
V. *De Societate herili.* 15
VI. *De Familia imperfecta.* 20
VII. *De variis generibus Possessionum.* 21
VIII. *De acquirenda Possessione.* 23
IX. *De usu Possessionis.* 29

II
Doctrinæ Politicæ.

I. *De Republica in genere.* 32
II. *De Monarchia, & naturalibus Monarchæ dotibus.* 36
III. *De Eruditione Principis.* 42
IV. *De virtute morali, quæ in Principe requiritur.*
V. *De causa Principatus, sive de modis perveniendi ad Principatum.* 50
VI. *De regimine Principis in genere, deque Legibus.* 55

VII.

VII. De Consiliariis, aliisque Regni administris. 59
VIII. De Subditorum nativitate, educatione & sepultura. 64
IX. De victu & Sanitate tuenda; de Morte & sepultura, aliisque rebus ad felicitatem Civium spectantibus. 67
X. De Gradibus ac Communione civium. 71
XI. De Judicio forensi & Censorio. 79
XII. De Reditibus publicis. 81
XIII. De defendenda, augenda & exornanda Republica. 85
XIV. De Aula Principis. 89
XV. De Peregrinis, deque Legatis & Fœderibus. 91
XVI. De Bello. 96
XVII. De Belligeratione, deque belli adjunctis & effectis. 103
XVIII. De Belli speciebus. 108
XIX. De vitiis Principatus, & causis mutationum. 110
XX. De Religione. 113
XXI. De iis, quæ Aristocratiæ & Democratiæ communia sunt. 117
XXII. De Aristocratia. 112
XXIII. De Democratia. 120
XXIV. De mistis formis Rerum publicarum. 123

FINIS.